












52
874

INSTITUTIONES
PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ

AD MENTEM DIVI THOMÆ AC SUAREZII,

AUCTORE

P. JOSEPHO MENDIVE,

SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

LOGICA.

~~~~~  
SUPERIORUM FACULTATE.  
~~~~~



VALLISOLETI:
EX TYPOGRAPHIA VIDUÆ DE CUESTA ET FIL.

MDCCCLXXXVI.

20.237



LECTORI BENEVOLO.



INSTITUTIONES philosophicas, quas hispano sermone ad usum academicæ juventutis scripseram, aliqui graves viri ut in latinum verterem a me postularunt. Cupiebant enim ut quod in gymnasiis Hispaniæ nostræ utile deprehensum fuerat, in seminariis quoque prodesse posset. Æqua quidem mihi videbatur postulatio, injucunda tamen et non parum molesta; cum me ad iterum animo revolvendas ideas cogeret, quæ prius mentem meam nimis jam occupaverant. Tandem operi, licet invitus, manus admoveere decrevi; ut et religioni et patriæ pro tenuitate ingenii mei inservirem, ac tantorum virorum desideriis satisfacerem.

In vertendo autem libertate quam maxima usus sum, ad sententias principales magis quam ad alia leviora sollicitus attendens. Multa compendio breviata dedi, aliqua suppressi, alia denique nec pauca numero addenda curavi. Unde, his pensatis, fere dici potest non tam versionem quam novi operis editionem a me fuisse factam.

Quæ difficiliora aut minoris momenti existimavi, ea characteribus parvis imprimenda censui; ut ex illis professores ea tantum suis discipulis, si ita illis videretur, pro lectione assignarent, quæ characteribus majoribus continentur; cetera vero provectoribus relinquerent.

Ad doctrinam quod attinet, vestigiis Scholasticorum ac præsertim Sancti Thomæ, magnique illius discipuli, Suarezii, semper insistere curavi; ut vere et cum omni proprietate operi meo titulus quadret, quem ei imponendum judicavi. Utere igitur illo, benevole lector; ac siquid utilitatis ex illius meditatione desumpseris; id totum in fontem omnis boni, Deum optimum maximum, cum gratiarum actione retribue: quem et mihi et tibi semper propitium ex animo adprecor.—*Vale.*





NOTIONES PRÆVIÆ.



1.—Antequam Logicæ studium incipiamus, operæ pretium erit pauca generatim præmittere, quibus et Philosophiæ notio pateat et rerum in ea tractandarum ordo stabiliatur.

2.—Porro Philosophiæ nomen, e græcis ad latinos derivatum, *amorem sapientiæ* significat. Cum enim ante Pythagoram omnes qui Philosophiæ studio incumbabant, σοφοί seu *sapientes* dicerentur; postea, italicæ scholæ fundatorem imitati, modestius loqui statuerunt, seque *philosophos* seu *amatores sapientiæ* vocaverunt. Quo factum est, ut scientia ab illis exulta non jam Sophia seu sapientia, sed Philosophia seu Amor sapientiæ fuerit appellata.

3.—Ipsa autem hæc agendi ratio a philosophis adhibita aperte ostendit Philosophiam in se, non amorem sapientiæ, sed sapientiam veram esse. Ideo enim communi consilio in hujusmodi loquendi rationem devenerunt, quod scientiam hanc putarent a nemine unquam in hac vita posse plene possideri, totumque studiosi hominis laborem in eo reponi oportere, quod ad sapientiam semper magis ac magis accedat.

4.—Hoc quasi manu nos ducit ad veram Philosophiæ notionem inveniendam. Et sane sapientia id genus cognitionis indigat, quæ magnam in animo delectationem causat, quæque cum magno gustu et sapore possidetur. Scientia igitur philosophica erit ea rerum cognitio, quæ ob suam excellentiam cæte-

ras omnes cognitiones naturales delectatione superat, quæque proinde veræ *sapientiæ* sibi nomen meretur. Quod quidem ex eo confirmatur, quod in cæteris scientiis ille jure optimo *sapiens* vocatur, qui de rebus ad ipsas pertinentibus sic disserere valet, ut reconditiores earum rationes penetrando, animum sciendi cupidum suavissima voluptate afficiat. Hinc enim fit, ut antonomastice sapiens seu vere philosophus ille dicatur, qui de rebus omnibus per altissimas causas judicare scit, ultimas earum rationes clara cognitione attingendo.

5.—Philosophia ergo sic definiri potest: *Scientia de ultimis rerum rationibus naturali rationis lumine comparata*. Porro ultimæ rerum rationes duplicis generis existunt. Aliæ enim sum rebus *internæ* et ad essentialia illarum constitutiva pertinent; aliæ autem *externæ*, atque in sapientia, bonitate, cæterisque attributis fundantur Supremi illius Entis, cujus est liberrimo suo arbitrio eas ad existentiam vocare.

6.—In eo quod sit *clara rerum cognitio*, Philosophia cum cæteris omnibus scientiis convenit; differt vero ab illis in eo quod circa rationes rerum *absolute ultimas* versatur. Cæteræ namque in rationibus sistunt minus a sensibus remotis; ac proinde inferiore quodam abstractionis gradu donatæ ad causas absolute ultimas non assurgunt. Pariter Philosophia cum Theologia hoc commune habet, quod cognitionibus constet certis atque infallibilibus: in eo autem se ab illa discernit, quod veritates suas ex naturalibus principiis rationis demonstret, dum e contra Theologia argumenta sua e fontibus desumit divinæ præsertim revelationis.

7.—Explicata jam Philosophiæ notione, ad materiale ejus objectum dilucidandum accedamus. Hoc quidem objectum rebus omnibus, tam possibilibus quam existentibus constituitur, sed inspicere a Philosophia debet sub ratione quadam abstractiori et longe a sensibus remota; in hoc enim, ut diximus, a reliquis

scientiis discriminatur. Hinc objectum circa quod Philosophia versatur, sunt *Mundus, Homo et Deus*; et exinde universi illius tractatus efflorescunt.

8.—Qui de Mundo agit, *Cosmologia* dicitur; qui de Homine, *Anthropologia*; qui vero de Deo, *Theodicea*. Sed enim homo sub triplici forma considerari potest; et quatenus *ens rationale*, aptumque natura sua ad percipiendum verum, et quatenus *ens physicum*, corpore atque anima donatum, et quatenus *ens morale* seu capax exercitio suæ libertatis bonos vel malos mores acquirendi. Hinc Anthropologia in tres iterum partes dispescitur, quæ *Logicæ, Psychologiæ et Ethicæ* nominibus insigniuntur. Harum prima hominem considerat ea ex parte qua est quid rationale, secunda ex ea qua est quid physice compositum ex anima et corpore, tertia denique ex ea qua est quid morale. His omnibus tractatibus si *Ontologiam* adjungas, in qua notiones quædam generalissimæ ad universa entia se extendentes pertractantur, Philosophiam habebis in singulas suas partes distributam.

9.—Quod si ordinem scrutari velis, quo ad invicem hujusmodi tractatus copulantur, distinctio quædam tibi necessario usurpanda erit. Ordine enim *dignitatis* primum locum occupat Theodicea, secundum Anthropologia, tertium Cosmologia; in ipsaque Anthropologia Psychologia Logicæ nobilitate præstat, atque ab his duabus vincitur Ethica. Ratio horum est; quia nobilitas cujusque scientiæ ex objecto ipsius desumitur: objecta autem horum tractatuum seu scientiarum, spectato ordine nobilitatis, eum locum tenent, quem nuper diximus. Si vero ordinem *doctrinæ* seu utilitatis in docendo inspicias, primum locum Logicæ cedas necesse est, secundum Ontologiæ, tertium Cosmologiæ, quartum Psychologiæ, quintum Theodiceæ, ultimum denique Ethicæ et Juri Naturali: hoc enim postulat natura illorum, quibus hæ scientiæ tradendæ sunt.

10.—Et re quidem vera, cognitio regularum de quibus Logica pertractat, convenientissima est Philosophiæ alumno, ut

tuto ac sine errandi periculo scientificas suas demonstrationes perficiat in rebus abstrusis, quales sunt omnes metaphysicæ. Ergo Logicæ studium ipsi ante omnia arripiendum erit. Præterea, res quæ ad Ontologiam pertinent, totæ quantæ sunt, generalissimis illis notionibus ac principiis continentur, quæ fundamento sunt omnibus scientiis. Ergo ut alumnus has scientias cum fructu colere possit, prius ei tradere oportet quæ de his notionibus ac principiis generalissimis in Ontologia tractantur. Tandem, in ordine tradendæ doctrinæ Cosmologia Psychologiæ præmittenda est; tum quia ejus studium facilius est, tum etiam quia studio Psychologiæ utilitatem præbet. Et hoc ultimum in causa est, cur Theodiceam post has duas scientias discere oporteat, et post reliquas omnes Ethicam cum Jure Naturæ. Deum enim cognoscere aliter non possumus quam per contemplationem creaturarum; officia autem quibus sive cum Deo, sive cum cæteris hominibus, sive cum nobismetipsis devincimur, cognitionem tum mundi, tum hominis, tum denique Auctoris utriusque supponunt.

II.—Aliqui hac nostra ætate opinati sunt studium Philosophiæ a Psychologia incipiendum esse; eo quod anima humana, cujus naturam illa rimatur, instrumentum est, quo reliquæ scientiæ discendæ sunt. Verum hoc nulla prorsus ratione admitti debet, quia Psychologia, nisi Logicæ studium præcedat, aut nullo modo, aut nonnisi magna cum difficultate et cum maximo errandi periculo disci potest. Ad rem Sanctus Augustinus: «Quando ergo transiret (*mens*) ad alia fabricanda, nisi ipsa prius quasi quædam machinamenta distingueret, notaret, digereret, proderetque ipsam disciplinam disciplinarum, quam *dialecticam* vocant? Hæc docet docere, hæc docet discere: in hac se ipsa ratio demonstrat atque aperit quæ sit, quid velit, quid valeat. Scit scire: sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest (1).»

(1) S. Augustinus, *de Ordine*, lib. 2, cap. 13.

12.—Haud quidem negamus nostram rationem instrumentum esse, quo omnia nostra argumenta conficimus, quoque scientias nobis omnes comparamus. Sed ad studendum regulis Logicæ non opus est naturam physicam hujus instrumenti intime pernoscere, quænam sit origo idearum nostrarum, quænam dicenda natura animæ humanæ, corruptibilisne sit an incorruptibilis, aliaque sexcenta, de quibus Psychologia tractat, investigando. Ad hoc enim sufficit animum convertere in modum cogitandi et ratiocinandi, quo mens sponte sua operatur: sic enim regulas optimæ cogitationis ab ipso Auctore naturæ menti nostræ veluti impressas atque exsculptas facile reperiemus.

13.—Ad hoc ut musicus quilibet ex. gr. suo instrumento bene uti possit, non indiget prius naturam materiæ, qua illud constat, intime rimari: sed hoc illi sufficit, ut optime noscat motum proprium uniuscujusque partis ab artifice instrumenti intentum, sive hæ partes eburneæ sint, sive metallicæ. Pari ergo ratione, ad hoc ut veritates logicas contemplemur, minime opus est, ut prius de natura animæ nostræ psychologica tractatione disseramus; sed satis est ad regulas rationalis operationis attendere ab ipso Auctore naturæ menti nostræ impressas. Logica ergo ante omnes alias Philosophiæ partes excolenda est; quia illius studium studio aliarum facile præmitti potest et ad omnes illas cum fructu excolendas maxime inservit.

14.—Restat nunc aliqua de Logicæ definitione ac divisione proferre. Et ad primum quod spectat, Logica sic definiri potest: *Disciplina humanæ rationis in ordine ad assecutionem veritatis*. Quod sit disciplina humanæ rationis, hoc cum cæteris omnibus scientiis commune habet; omnes enim ad mentis nostræ perfectionem suapte natura diriguntur. Quod vero ad

asseccutionem veritatis ordinetur, hoc Logica sibi proprium vindicat, quæ proinde *organum* seu *instrumentum veritatis assequendæ* vocari solet.

Ad secundum quod attinet, Logica in *naturalem* et *artificialem* dispescitur. Nam disciplinam hanc potest quis acquirere, sive naturaliter et solo usu potentiarum suarum ordinario, sive artificialiter et per seriem quandam actuum liberorum ad illam assequendam ordinatam. Primo modo Logica *naturalis et vulgaris* obtinetur; quæ quidem communis est omnibus hominibus plenum jam usum rationis habentibus. Qui enim tales sunt, sponte naturæ suæ rationalis atque intellectivæ quandam reflexionem in proprios actus exercent; qua clarius vel obscurius apprehendunt formam recte cogitandi. Secundo autem modo Logica *artificialis* existit; quæ longe perfectior est naturali. Non enim aliter obtineri quit, quam per attentam et systematicam considerationem legum rectæ cogitationis; ac proinde in claram ac perfectam harum legum cognitionem infallibiliter perducit.

15.—Nos in hoc tractatu de hac secunda tantum agemus: de qua id notandum, et *artem* esse simul et *scientiam*. Et quidem ars dici debet; quia regula tradit rectæ operationis, in quo artis natura consistit. Est vero etiam scientia; quia non solum regulas tradit, sed etiam illarum veritatem ex principiis certis atque evidentibus demonstrat, in quo scientiæ natura reponitur.

16.—In legibus humanæ cogitationis tria continentur: 1.º regulæ seu præcepta mechanismi logici, quibus modus traditur syllogismi recte efformandi; 2.º fontes cogitationis veræ seu objectis conformis, qui communiter *criteria* vocantur; 3.º artificiosa seu recte ordinata dispositio multiplicium ratiociniorum, quæ necessario exerceri debent ad acquisitionem scien-

tiae cujuscumque: quæ quidem non est nisi *collectio quædam veritatum ad objectum idem pertinentium ac per evidentes rationes ex principiis certis demonstratarum*. Hæc ordinata ratiociniorum dispositio *methodus* a philosophis appellari solet.

17.—Tam methodus quam regulæ et criteria in una et eadem formali ratione conveniunt, qua ordinem dicunt ad tutam et facilem veritatis consecutionem in omni scientifica inquisitione obtinendam. Tria ergo hæc elementa tamquam totidem Logicæ partes considerari debent, minime autem tamquam res disparatæ, mutuoque ordine ac nexu destitutæ.

18.—Hinc naturalis divisio resultat hujus tractatus, qui in tres partes dispertiendus erit. Harum prima regulas continet seu instrumenta mechanismi logici, secunda vero fontes veræ ac certæ cogitationis, tertia denique methodum apte disponendi ratiocinia in omni inquisitione scientifica. Quæ de regulis agit *Dialectica* vocatur; quæ de fontibus tractat, *Critica* dicitur; quæ vero methodum exhibet, *Methodologia* nominatur.





LOGICÆ PRIMA PARS

SEU

DIALECTICA.

19.—Dialectica, ut ex supra dictis constat, est *ea Logicæ pars, quæ regulas tradit mechanismi logici* seu modum quo nostræ perceptiones, judicia et ratiocinia efformari debent, ut per illa veritatem assequamur.

Porro objectum intellectus nostri et in quod hæc potentia sponte sua tendit, est *veritas*. Illam tamen intellectus obtinere nequit nisi eas vias fideliter sequendo, quæ rationali nostræ naturæ conveniunt. Hujusmodi viæ *regulæ cogitationis* nominantur: quæ quidem minime *arbitrariæ* sunt, aut a libera hominum voluntate progenitæ, sed *naturales* et in ipsa natura nostra fundatæ. Hoc enim cuique enti commune est, ut ad bonum ad quod sponte sua propellitur, pervenire non possit nisi eo modo operando, qui peculiari ejusdem conditioni proportionatur. Harum regularum complexum in hac prima Logicæ parte consideraturi, agemus primo de his quæ ad simplicem mentis apprehensionem spectant, deinde de his quæ judiciorum propria sunt, denique de his quæ ad ratiocinia referuntur.

CAPUT PRIMUM.

De simplici mentis apprehensione.

20.—Apprehendere aliquid mente idem sonat atque illud cognoscere: unde mentis apprehensio *actio quædam est, qua aliquid cognoscimus seu in ejus notitiam devenimus*. Porro hæc notitia diversis nominibus compellari solet, quem morem et nos sequemur. Aliquando enim vocatur *idea* a græco ἰδέϊν, quod significat *videre*: est enim velut quædam visio intellectualis, quæ visioni oculorum assimilatur. Alias dicitur *conceptus*; quia illam mens sinu suo quasi concipit ac generat mediante influxu objecti, quod illam sua actione fecundat. Unde et communiter admitti solet illud Sancti Agustini effatum: *Ab objecto et mente notitia paritur*. Alias accipit nomen *repræsentationis intellectualis*; non quod imago vera sit, in qua objectum sit materialiter depictum, aut in qua illius delineamenta contemplerur; sed quia mentem informat, et hac sua informatione in objectum refert. Mens enim, hac notitia informata, objecto suo intentionaliter unitur; illudque videt ac directe apprehendit, tamquam si physice ac realiter intra eam existeret. Alias denique appellatur *notio*, quæ eadem est ac *notitia*; utrumque enim nomen a verbo *nosco* derivatur.

21.—Apprehensio dicitur simplex, non ratione objecti, quod simplex sit partibusque careat, sed ratione modi in illud tendendi sine ulla affirmatione aut negatione, sive illud simplex sit, sive complexum. Sic quando percipimus *ens*, *existentiam*, *virtutem*, *pulchritudinem*, *numerus* parem aut imparem stellarum, etc., et nihil de his objectis affirmamus aut negamus; harum rerum simplicem apprehensionem habemus. Alio etiam modo dici potest simplex apprehensio ratione objecti, quando scilicet circa objectum simplex versatur: qua ratione tunc etiam *complexa* vocanda esset;

quando ejus objectum complexum est, variisque partibus constat. Sed de hoc genere simplicitatis in præsentia non agimus.

22.—Apprehensio potest esse vel *sensitiva* vel *intellectualis*, secundum quod per sensus vel per intellectum immediate producat. Nos hoc in capite de hac secunda tantum loquemur; et quidem illam sub duplici aspectu considerabimus, scilicet prout in se est, mentemque interius informat, et prout externe per signa sensibilia manifestatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De simplici mentis apprehensione in se ipsa considerata.

23.—Declaratum jam supra est (20) quid verbo *apprehensionis* intelligamus, quibusque nominibus eam compellemus. Restat nunc distinctas ejus species enumerare, ordinemque inspicere, quem inter ipsas statuit Logica: quod duobus sequentibus paragraphis exequemur.

§ I. QUÆNAM SINT CONCEPTUUM SPECIES.

24.—Conceptus dupliciter spectari potest; *subjective* nempe et *objective*. Primo modo consideratur quando spectatur modus, quo per illum objectum apprehendimus: secundo vero, quando perspicitur objectum, quod per illum repræsentatur (20). Præterea, conceptus inter se habere possunt relationem vel oppositionis vel conformitatis, secundum quod objecta seu rationes objectivæ per illos repræsentatæ habeant pugnam vel conformitatem inter se. Hinc triplex diversitatis fons exsurgit relate ad conceptus in se ipsis consideratos; et de hoc triplici fonte mune specialiter agendum.

25.—I. *Conceptus subjective considerati* dividuntur in *claros* et *obscuros*, *distinctos* et *confusos*, *completos* et

incompletos, adæquatos et inadæquatos, comprehensivos et incomprehensivos, directos et reflexos, explicitos et implicitos, formales et virtuales, intuitivos et discursivos, quidditativos et abstractivos. De singulis aliqua breviter dicamus.

26.—*Conceptus clarus ille est, quo unum objectum ab alio discernimus: obscurus autem e contra est ille, quo unum objectum cum alio confundimus.* Sic, si hominem procul videns, non possis a bellua discernere, aut belluam putes; obscurum illius conceptum habes: si vero illum ut hominem agnoscas; ab aliis objectis distinguis et clarum ipsius conceptum efformas.

27.—*Conceptus distinctus est ille, quo non modo unum objectum ab altero discernimus, verum etiam notas seu characteres ejusdem proprios clare apprehendimus: confusus e contra est ille, quo has notas inter se non discernimus, licet objecta ipsa distinguamus, quæ per illas determinantur accircumscribuntur.* Sic hominem quis potest a bruto discernere, ita tamen ut ejus *animalitatem* ac *rationalitatem* clare non apprehendat. Cum hoc ei accidit, confusum hominis conceptum habet: habebit vero distinctum, cum duas notas prædictas unam ab alia secernere possit.

28.—*Conceptus completus dicitur ille, quo omnes notas distinguimus, quibus unum objectum ab alio discernitur: incompletus e contra est ille, quo tantum aliquas clare apprehendimus.* Sic *animalis* v. gr. conceptum completum certe habemus; fluida autem electrica et magnetica nonnisi incomplete cognoscimus, utpote qui omnes utriusque fluidi proprietates clare non apprehendimus.

29.—*Conceptus adæquatus est ille, quo omnes notas seu characteres alicujus objecti tam clare apprehendimus, ut illas mentis analysi usque in ultima elementa dividamus: inadæquatus e contra conceptus erit, quando ad tantam claritatem non assurgimus.* Si hominem v. gr. ita concipiamus, ut conceptum *humanitatis* in alios simpliciores per analysim mentis resolvamus, donec perveniamus

ad ultimum, qui in alios resolvi nequeat; ideam illius adæquatam obtinebimus: secus idea erit inadæquata.

30.—Analysis mentis dicitur *resolutio mentalis aliqujus conceptus complexi in alios simpliciōres*. Estque *completa*, quando pervenit usque ad ultima elementa, quæ in alia simpliciora resolvi nequeunt: alias erit *incompleta*. Processus analysi contrarius dicitur *synthesis*, consistitque in conjunctione mentali plurium conceptuum circa rem eandem versantium. Si *humanitatem* ex gr. in *animalitatem* et *rationalitatem* mente resolvimus; analysim illius facimus: e contra, si ex *animalitate* et *rationalitate* unum objectum efformamus dicendo: *Animal rationale est homo*; synthesim illarum instituimus. Si elementa ex quibus immediate constat *humanitas*, novæ analysi non subijcimus; analysim facimus incompletam: si vero illa denuo in alia simpliciora resolvimus, donec veniamus ad ultimum absolute simplex, quod in alia resolvi nequit; analysim habebimus completam. Hac ratione dicimus: *Homo est animal rationale, vivens, corporeum, substantia, ens*.

31.—Animadversione dignum est notas seu characteres, per quos res aliqua nobis redditur cognoscibilis, posse esse magis vel minus complexas ac proinde magis vel minus capaces ulterioris resolutionis. Sic ex. gr. in conceptu *animalitatis* involvitur conceptus *corporeitatis* et *vitæ*; in conceptu *corporeitatis* conceptus *subsistentiæ*; et in conceptu *subsistentiæ* conceptus *entitatis*. Hic vero simplicissimus est et in nullum alium resolvi potest. Hinc omnia illa objecta, quorum notæ in alias simpliciores resolvi nequeunt, qualia sunt *entitas, realitas*, etc., conceptu adæquato cognoscimus. Aliqui tamen conceptum adæquatum cum comprehensivo confundunt, negantque nos posse quidquam adæquate cognoscere.

32.—Conceptus comprehensivus est *ille, quo objectum tam perfecte cognoscitur, ut nihil perfectionis in eo contentæ, sive absoluta sit, sive relativa, intellectum lateat*. Conceptus hic continet in se cognitionem, non solum essentiæ et proprietatum objecti, circa quod versatur, sed etiam omnium entium quibuscum relatione aliqua reali copulatur.

Quare magnam mentis perfectionem requirit, non tamen infinitam, nisi cum de Deo comprehendendo agitur, ut docent communiter Scholastici (1). Tota enim perfectio in objecto hujusce conceptus contenta finita est; ac proinde infinitam perfectionem ad sui cognitionem non postulat.

33.—Habemus conceptum directum de aliqua re, *quando in illam mens directe fertur*; ut cum *Petrum* nobis obvium animo concipimus. E contra, habemus conceptum reflexum; *cum in conceptum directum jam acquisitum attentionem convertimus, in eoque objectum illius denuo percipimus*. Sic, postquam percepi directe *Petrum*, possum in hunc meum actum perceptivum attentionem convertere; et tunc in illa apparebit mihi iterum Petrus ut jam perceptus. Conceptus hic secundus Petri est reflexus; quia non fit nisi redeunte anima in se ipsam.

34.—Nomine *attentionis* intelligitur *actus ille, quo mens obtutum suum in aliqua re figit præ aliis, quas sibi præsentibus habet et actu quodam remisso cognoscit*. Sicut, cum adsunt plures homines in eodem cubiculo, oculorum aciem in aliquem illorum ita convertimus, ut simul etiam cæteros licet remisse videamus; non ab simili ratione hoc ipsum intellectu perficimus, ut clarius objectum aliquod cognoscamus.

35.—*Reflexio* nihil aliud est quam *mentis conversio in suos proprios actus*: unde ut quædam species attentionis habenda est. Porro hi actus dupliciter inspicere possunt; et quatenus sunt phænomena quædam ac modificationes animi nostri, et quatenus objectum aliquod repræsentant ac proinde sunt veluti quædam imagines ac repræsentationes illius (20). Primo modo habetur reflexio *psychologica*; quæ circa mentis actus versatur, prout sunt animi modificationes quædam. Secundo modo reflexio obtinetur *ontologica*: per illam

(1) Cfr. Arriaga, *Cursus Philosoph.*, disp. IX, de anima, n. 126; item Suarez, *Metaph.* disp. 35, sect. 3, n. 57.

enim mens non quærit nisi objectum antea perceptum et idealiter repræsentatum; nec in representatione prout talis est quiescit, sed in ipsum objectum transit, ut illud denuo meditetur et clarius percipiat.

36.—Habemus conceptum *explicitum* de aliqua re, *cum illam clare percipimus cum notis suis peculiaribus et characteristicis: implicitum vero, cum illam confuse percipimus in alia explicite concepta*. Sic, cum de homine explicite cogitamus, habemus ideam implicitam *animalitatis et rationalitatis*, quæ in *humanitate* continentur; et cum explicite *Creatoris*, aut *domini*, aut *patris*, etc. idea nobis objicitur, implicita *creaturæ, servi, filii*. etc. nobis exhibetur.

37.—Conceptus *formalis* est ille, qui actu habetur circa aliquod objectum; talisque dicitur, quia menti repræsentat objectum sub forma aliqua determinata et circumscripta. Unde et objectum per illum repræsentatum vocari solet *ratio formalis objectiva*. Conceptus virtualis e contra dicitur ille, quem possumus *formaliter et explicite formare, reflexione facta supra conceptum formalem*. Differt vero ab implicito in eo quod hic existit realiter actu in mente, licet modo quodam confuso; dum e contra virtualis non existit actu sed existere potest. Sic, in syllogismi præmissis virtualiter percipimus conclusionem, non autem implicite.

38.—Conceptus intuitivus est ille, quo percipimus objectum præsens, nosque ad sui cognitionem determinans. Potest esse *directus* vel *reflexus*, secundum quod objectum illius sit aliquid extra nos positum vel intra nos (32). Conceptus discursivus e contra est ille, quo aliquid concipimus mediante discursu seu inferendo illud ex aliis jam notis. Talis est v. gr. *idea Dei*, quam omnes communiter habemus.

39.—Tandem, conceptus quidditativus dicitur ille, quo aliqua essentia cognoscitur immediate in se ipsa, aut in alia altiori, in qua eminenter continetur. Talis est

conceptus, quem habent beati in cœlo, et Essentiæ divinæ et aliarum quæ in ipsa veluti in speculo eis repræsentantur. E converso, conceptus dicitur abstractivus, *quando res per illum percepta in alia imperfectiore cognoscitur*. Talis est conceptus quo Deum, resque omnes spirituales intelligimus. Deum enim nonnisi in suis creaturis percipimus, quæ ab ejus perfectione infinite distant; spiritusque non aliter se nobis manifestant, quam per effectus sensibiles in materia productos et ab eorum perfectione valde distantes. Aliquando tamen dicitur conceptus abstractivus *ille, quo aliquod objectum concipimus ab ejus existentia præscindentes*: et hic conceptus vocari etiam solet *præcisivus*.

40.—*Præscindere seu abstrahere est cogitare de aliqua re sub aliquo aspectu determinato, quin ad alios, sub quibus considerari posset, attendamus*. Sic, cum hominem considero, quatenus *rationalis* est; præscindo seu mentem abstraho ab ejus *animalitate, corporeitate*, etc., et solum cogito illius *rationalitatem*. Abstractio potest esse *spontanea* vel *voluntaria*. Est *spontanea, cum sponte producit a nostro intellectu virtute sua intrinseca independenter ab imperio voluntatis*: est vero *voluntaria, cum illam producit intellectus, vi quidem sua intrinseca, determinatus tamen ad actionem a voluntate*. Spontanea prius fit in nobis quam voluntaria: voluntas enim imperare nequit intellectui ut attendat ad aliquod objectum, quin prævie mota fuerit ab idea boni abstracte concepti per spontaneam actionem ipsius intellectus.

41.—II. *Conceptus objective considerati* dividuntur in *simplices* et *compositos*, in *absolutos* et *connotativos*, in *concretos* et *abstractos*, in *geometricos* et *puros*, in *reales* et *logicos*, in *finitos* et *infinitos*, in *collectivos* et *distributivos*, in *singulares*, *particulares* et *universales*. De singulis pauca dicamus.

42.—Conceptus simplex est *ille, qui repræsentat nobis objectum simplex vel unius tantum notæ*, v. gr. conce-

ptus *entis*. E contra compositus est *ille, qui repræsentat nobis objectum compositum seu plurium notarum*, v. gr. *conceptus hominis*. Hoc non significat conceptum ipsum in se esse compositum, cum sit simplex partibusque careat, sed objectum ejus pluribus notis constare et per plures conceptus inadæquatos exprimi posse.

43.—Conceptus absolutus dicitur *ille, qui repræsentat objectum ad modum rei per se stantis*; sive vere existat per se, sitque substantia quædam; sive existat in alio, sitque accidens. Tales sunt conceptus *hominis, lapidis, albedinis*, etc. Conceptus connotativus e contra est *ille, qui repræsentat nobis objectum ad modum formæ adjacentis objecto absoluto*; sive vere adjaceat, sive non. Tales sunt conceptus *pulchri, corporei, rationalis, sapientis*, etc.

44.—Conceptus concretus est *ille, qui repræsentat rem aliquam tamquam subjectum alicujus formæ*. Abstractus e contra est *ille, qui repræsentat nobis aliquam formam*. Dicitur subjectum in Logica omne illud quod nobis exhibetur tamquam affectum aliqua determinatione; forma vero est illud, quod nobis exhibetur tamquam determinatio subjecti. Sic, in hoc exemplo: *Homo prudens*, *Homo* nobis objicitur tamquam subjectum *prudentiæ*, et *prudentiæ* tamquam forma *hominis*. Aliquando formas concipimus tamquam per se ipsas subsistentes; ut cum cogitamus *sapientiam, bonitatem, pulchritudinem* etc., ac de illis tamquam de rebus per se subsistentibus loquimur. Cum hoc accidit; abstractum ad modum concreti percipimus; et substantivum facimus mente, quod in se non est nisi adjectivum.

45.—Conceptus geometricus est *ille, qui rem aliquam extensam repræsentat, ut lapidem, hominem equum*, etc.: purus autem dicitur *ille, qui nihil repræsentat formaliter extensum, sed ab extensione præscindit aut positive illam negat*, ut conceptus *entis*,

substantiæ, bonitatis, pulchritudinis, justitiæ, spiritus, Dei, etc.

46.—Conceptus realis dicitur *ille, qui nobis exhibet aliquid existens vel existere potens extra mentem*, v. gr. *conceptus lapidis, hominis, etc.* E contra logicus est *ille, qui aliquid exhibet existere non valens nisi intra mentem per modum objecti*: tales sunt conceptus *generici et specifici*, seu *genera et species*, de quibus agit Logica.

47.—Conceptus finitus est *ille, qui exhibet menti aliquid reale modo quodam positivo et determinato*, uti conceptus *lapidis, hominis, etc.* E contra conceptus infinitus seu indefinitus appellatur *ille, qui exhibet quidem aliquid reale, sed modo negativo et indeterminato*, uti conceptus *non-hominis, non-lapidis, etc.*; qui idem sonant atque *aliquid reale distinctum ab homine, lapide, etc.*

48.—Conceptus collectivus est *ille, qui repræsentat nobis plures res simul junctas; ita ut ratio objectiva per ipsum expressa non possit de singulis affirmari sed solum de collectione illarum, ut tali*. Talis est v. gr. conceptus *exercitus*: exercitus enim est quædam militum collectio; et de nullo militum affirmari potest quod sit exercitus, sed solum de omnibus militibus simul sumptis. Conceptus distributivus e contra *repræsentat plures res separatim sumptas; ita ut ratio objectiva per illum expressa affirmari debeat de singulis earum*. Talis est ex. gr. conceptus *hominis*: ratio enim *humanitatis* per ipsum expressa affirmari debet de singulis individuis, ad quæ refertur; ac proinde dicimus: *Petrus est homo, Joannes est homo, Franciscus est homo, etc.*

49.—Idea tamen collectionis potest etiam esse distributiva, si sumatur collectio ut ratio quædam objectiva communis omnibus collectionibus. Tunc enim hæc ratio poterit de omnibus collectionibus singillatim sumptis prædicari; et ita dicimus:

Exercitus hispanus est collectio quædam, exercitus gallus est etiam quædam collectio, plura grana tritici sunt pariter collectio quædam, etc.

50.—Conceptus singularis dicitur *ille, quo individuum aliquod determinatum apprehendimus*, ut *Petrum, Joannem*, etc. Individuum vocatur *illud ens, quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio*, ut patet in exemplis appositis. Unum individuum ab alio secerimus per cognitionem notarum *individuantium*, quæ in illo solo inveniuntur simul sumptæ, quæque hoc versiculo generatim exprimuntur:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen.

Conceptus particularis est *ille, quo individuum aliquod indeterminatum apprehendimus*; ut cum dicimus: *Aliquis hos flores destruxit, aliqui milites depopulati sunt hanc urbem*. Non enim ex tali loquendi ratione constat quinam *determinate* hos ruinosos effectus produxerint.

Conceptus universalis est *ille, qui rationem aliquam exprimit multis communem ac de singulis prædicabilem*. Sic v. gr. conceptus *hominis* est universalis; quia ratio *humanitatis* per illum expressa de omnibus et singulis individuis humani generis, præteritis, præsentibus, futuris, et possibilibus enuntiari potest. Omnes conceptus distributivi sunt etiam universales.

51.—Conceptus hi universales proprie et formaliter non nisi ad nostrum intellectum pertinent; ita ut, prout tales sunt et prout præscindunt a notis individuantibus, in solo illo inveniuntur. Angeli enim apprehendunt quidem objecta per rationes communes, sed tales, ut a notis individuantibus non præscindant; ita ut, ipsa idea illis repræsentet et quod commune est pluribus singularibus, et quod peculiare ac proprium. Deus vero omnia et singula intelligit per unam simplicissimam ideam; quæ quidquid cognoscibile in rebus existit, sive proprium sit, sive commune, totum ei perfectissime repræsentat. Sensus denique et ipsa imaginatio conceptibus universalibus carent; et—

quidquid apprehendunt, sub ratione finiti et particularis cognoscunt. De his conceptibus universalibus præsertim agit Logica et in illis ordinandis occupatur.

52.—III. Denique *conceptus relative considerati* dividuntur in *compatibiles* et *incompatibiles*. Compatibiles sunt *illi, quorum rationes formales (37) in eodem subjecto simul inveniri queunt*: incompatibiles vero sunt *illi, quorum rationes formales inveniri simul nequeunt in eodem subjecto, licet fortasse prædicari de ipso possint successive*. Sic *scientia* et *sanctitas* ex. gr. sunt duæ rationes objectivæ, quæ de uno et eodem subjecto possunt simul prædicari, quæque proinde possunt in illo coexistere: e contra *sanctitas* et *vitium* coexistere nequeunt in eodem subjecto. Proinde *conceptus sanctitatis* et *scientiæ* sunt *compatibiles*; *sanctitatis* vero et *vitii* incompatibiles.

53.—Rationes formales objectivæ duorum conceptuum compatibilium possunt esse tales, ut neutra illarum alteram includat vel excludat v. gr. *scientia* et *motus*; vel ut aliqua ex iis alteram includat, v. gr. *humanitas* et *animalitas*. In primo casu conceptus earum dicuntur *inconnexi*, in secundo vero *connexi*. Rursus connexio duorum conceptuum compatibilium potest esse talis, ut rationes formales utriusque sint eædem, licet diverso modo expressæ; et tunc conceptus illarum dicuntur *identici*. Exemplo sint conceptus *hominis* et *animalis rationalis*: *homo* enim et *animal rationale* idem sonant.

54.—Incompatibilitas duorum conceptuum resultat ex *oppositione* suarum rationum formalium. Idcirco oppositæ vocantur *illæ res, quæ simul existere nequeunt in eodem subjecto, quæque proinde de illo prædicari nequeunt sub eodem respectu*. Hæc autem oppositio potest esse vel *contradictionis*, vel *contrarietatis*, vel *privationis*, vel *relationis*. Contradictorie opposita

sunt illa, *quæ inter se pugnant ut esse et non-esse* v. gr. *lux et tenebræ*. Contrarie opposita dicuntur illa *quæ maxime distant intra idem genus*, ut *virtus et vitium*. Privative opponuntur *forma aliqua* (44) atque ejus *privatio*. Nomine autem privationis intelligitur *absentia rei alicujus in aliquo subjecto capaci et apto ad illam habendam*, v. gr. *cæcitas* in homine. Tandem relative opposita sunt illa, *quæ per respectum unius ad alterum denominantur*, v. gr. *pater et filius, servus et dominus*. Porro relativa sunt talia, ut unum sine altero nec esse nec concipi possit: hinc illud: *Relativa sunt simul et esse et cognitione*.

§. II. QUOMODO CLASSIFICENTUR ET ORDINENTUR CONCEPTUS UNIVERSALES.

55.—Conceptus universalis exprimit rationem quandam objectivam, sive sub forma quadam absoluta et reali, v. gr. *humanitatem*, sive sub forma relativa et logica, v. gr. *species et genera* (46). In primo casu ratio objectiva per illum expressa est *essentia* quædam realis et in rebus existens, licet non illo modo quo habetur in intellectu. In hoc enim existit præcisa et abstracta a notis individuantiis, in rebus autem cum his notis (50). Nomine autem *essentiæ* intelligitur in Logica *illud, quod pro responsione damus*, quotiescumque hæc nobis fit interrogatio: *Quid est hoc?* Tunc enim respondemus dicendo: *Hoc est aurum, argentum, lapis, etc.*, et rei essentiam designamus.

56.—In secundo autem casu ratio formalis per conceptum expressa est *essentia prædicta, ut præcisa et abstracta a conditionibus individuantiis* cum quibus existit in individuis, *ut relata ad hæc tanquam universale ad ejus inferiora, et ut apta ad existendum in singulis eorum*. Mens enim, postquam per abstractionem spontaneam (40) abstrahit laudatam essentiam a suis notis individuantiis, influxu voluntatis in se ipsam rediens (35), invenit eam ita abstractam ac formaliter universalem, seu aptam ad existendum in multis et ad hoc ut prædice-

tur de multis. Quod quidem idem est ac modo relativo illam considerare et sub relatione quam habet ad res, de quibus prædicari potest. Essentia sic abstracta non potest esse nisi in intellectu; nam in rerum natura, seu in individuis, semper invenitur notis illis affecta, quæ individuis sunt propriæ: proinde, prout talis, est quid logicum et non reale (46).

57.—Ex his quæ nuper scripsimus, aperte constat: 1.^o objectum universale sub forma absoluta expressum esse *directum*, alterum vero sub forma relativa conceptum esse *reflexum* (35): 2.^o intellectum humanum non posse efformare conceptum universalem relativum et reflexum, quin prius alterum absolutum et directum produxerit; cum non aliter efformetur quam per reflexionem mentis supra actum, quo concipit universale hoc secundum. Hac de causa Scholastici universale absolutum et directum vocarunt *primam intentionem intellectus*, relativum vero et reflexum *secundam intentionem*. Primum enim in quod intendit intellectus, sunt essentiæ reales objectorum; in quas modo suo abstractivo fertur: deinde vero, reflectendo in se ipsum, has essentias percipit *ut prius a se conceptas et conceptione sua abstractas a singularibus, aptasque redditas ut de illis prædicentur*. De his duobus universalibus nunc nobis loquendum est, ut conceptuum universalium classificationem et ordinationem instituamus.

58.—Prius autem animadvertere oportet rationes has communes seu objecta universalialia non considerari in Logica ex ea parte qua essentiæ quædam sunt, cum hoc sit objectum Metaphysicæ; sed solum ex parte formæ abstractæ et a conditionibus individuuantibus præcisæ, quam in intellectu nostro sortiuntur ope abstractionis ipsius intellectus. Ad rem Eximius^s Suarez: «Dialecticus non considerat decem suprema entium genera, ut eorum naturas et essentias exacte declaret; id enim extra institutum ejus esset, cum Dialectica solum sit quædam ars dirigendi operationes intellectus ut artificiose et cum ratione exerceantur. Unde directe ac per se agit de conceptibus mentis, ut dirigibiles sunt per artem, seu de forma et ordinatione conceptuum, quatenus per artem tribui potest. Quia vero conceptus mentis circa res versantur et in rebus fundantur, ideo de rebus tractat, non ut earum essentias et naturas de-

claret, sed solum in ordine ad conceptus mentis coordinandos» (1).

50.—I. Hac observatione præmissa, jam ad rem nostram veniamus. Atque ut ab universalibus reflexis incipiamus, ipsorum classificatio hoc tantum a nobis postulat, ut eorum numerum indicemus et naturam explicemus. Porro universalia hæc sunt sequentia: *Genus, differentia, species, proprium* seu *attributum*, et *accidens*. Ex his tertium seu *species*, utpote essentiam totalem exprimens, primum ac fundamentale est; et primo loco considerari debet.

60.—Species igitur seu conceptus specificus est *illa ratio universalis, quæ sub se continet omnia individua ejusdem essentiae* v. gr. *homo in genere* seu *humanitas*. Inter individua ad eandem speciem pertinentia nos distinguere non possumus nisi mediantibus notis individuantibus (50): cæteræ enim sunt omnibus communes ac proinde ad hanc distinctionem faciendam non inserviunt; cum distinctio fieri debeat per id, quod est proprium et non commune pluribus. Sic *Petrum, Paulum, Joannem*, etc., qui ad eandem speciem *humanitatis* pertinent, per solas notas individuantes ab invicem discernimus: cæteræ vero quæ ex *humanitate*, ut tali, per analysim inferuntur, ut *sensibilitas, rationalitas, corporeitas*, etc. omnibus illis communes existunt, et idcirco *essentiales* vocantur.

61.—Ad definiendum *genus* et *differentiam* sufficit advertere omnem speciem duobus elementis constare inter se unitis; quorum unum vicem materiæ seu subjecti determinabilis gerit, alterum vero formæ determinantis (44). Sic *homo*, quatenus species quædam est, *animalitate* et *rationalitate* constituitur; quarum prima elementum est determinabile, secunda elementum determinans. *Animalitas* enim communis est *homini* et *bruto*; ac proinde de se indeterminata est ad constituendum unum potius quam aliud; et ab hac indeterminatione abstrahitur per *rationalitatem*, quæ illam determinat per modum formæ. Definire enim volentes speciem humanam dicimus: *Homo est animal rationale*; in qua definitione *animal* est sub-

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 39, sect. 1, n. 1.

jectum quoddam determinabile, *rationabile* vero forma illud determinans. Exinde jam patet quid nomine tunc *generis*, tum *differentiæ* intelligamus: genus enim est elementum determinabile speciei, differentia vero elementum determinans. Unde genus sic definiri potest: *Ratio illa universalis, quæ communis est pluribus speciebus, quæque unamquamque illarum constituit per modum materiæ seu elementi determinabilis*. Differentia vero specifica erit: *Ratio illa universalis, quæ uni tantum speciei convenit, illam constituens per modum formæ seu elementi determinantis*. Sic, in exemplo adducto, *animal* est genus, *rationale* vero est differentia.

62.-Explicatis jam *specie*, *genere* et *differentia*, non operosum erit *proprium* et *accidens* enucleare. Attributum ergo seu proprietas specifica est *illa ratio universalis, quæ omnibus et singulis individuïs alicujus speciei convenit tamquam quid necessario profluens ab essentia*. Accidens vero est *ratio illa universalis, quæ multis individuïs alicujus speciei convenit tamquam quid contingenter profluens ab illorum essentia*; seu est *illud, quod ita adest subjecto, ut possit ab eo abesse, salva ejus essentia*. Sic *visibilitas* v. gr. est attributum seu proprietas specifica *hominis*; quia ex ipsa ejus essentia necessario resultat et ideo in omnibus et singulis hominibus semper invenitur: *albedo* autem vel *nigredo* sunt *hominis* accidentia; quia sic naturam *Petri* ex. gr. afficit *albedo* atque ab ipsa promanat, ut quamvis *Petrus* foret *niger*, non ideo tamen *homo* esse desineret.

63.—Aliquis forte existimet, præter quinque universalialia prædicta, alia sex debere enumerari, nempe *ens*, *res* seu *quidditas*, *aliquid*, *unum*, *verum* et *bonum*. Omnia enim exprimunt rationes quasdam communes seu universales, quæ in omnibus rebus inveniuntur ac de illis prædicari posunt; et sic de omni re

possumus dicere illam esse *ens*, *quid*, *aliquid*, *unam*, *veram* et *bonam*. Verum hæc stricte universalia dici nequeunt; sed melius vocanda sunt *transcendentalia*, quia omnes entium classes transcendent.

64.—Porro universalia reflexa, quæ *prædicabilia* vocari solent, non esse nec plura nec pauciora quam quinque prædicta facile demonstratur. Et sane, ratio quævis universalis aut exprimit totam essentiam, aut partem essentiæ aut aliquid extra essentiam positum. Si *primum*; ratio illa erit *species* quædam. Si *secundum*; erit *genus* vel *differentia specifica*; secundum quod pars essentiæ per eam expresa sit elementum determinabile speciei, vel elementum determinans. Si *tertium*; erit *proprium* vel *accidens*; secundum quod profluat *neccesario* vel *contingenter* ab essentia res per illam rationem universalem significata. Ergo manifeste patet prædicabilia non esse plura nec pauciora quam quinque.

65.—II. Post classificationem prædicabilium factam, restat nunc ea inter se ordinare; quem in finem diversæ generum, specierum et differentiarum classes enumerandæ sunt. Et quidem genus dividitur in *supremum*, *infimum* et *intermedium*; quod etiam de speciebus et differentiis pari ratione intelligendum est. Porro genus supremum est *illud*, *quod sub se continet alia genera inferiora seu minus universalia*: infimum vel proximum est *illud*, *quod sub se nonnisi species continet*: intermedia denique sunt *illa*, *quæ sub supremo continentur et sub se continent infimum*. Pariter species suprema erit *illa*, *quæ immediate contineatur sub genere supremo et sub se contineat alias species*: infima erit *illa*, *quæ immediate contineatur sub genere infimo, quæque proinde nonnisi individua sub se contineat*: intermedia denique erunt *illæ omnes, quæ inter supremam et infimam existant*. Denique differentia suprema erit *illa*, *quæ immediate contrahit genus supremum ad speciem supremam*; specifica seu ultima erit *illa*, *quæ immediate contrahit genus infimum ad speciem infimam*: intermedia denique

erunt illæ, quæ contrahunt genera intermedia ad species intermedias.

66.—Exemplo res tota illustrabitur. Videamus ergo quænam sint genera, species et differentiæ quæ ad hominem quemvis referuntur. *Homo* est species quædam infima; non enim continet sub se nisi individua, *Petrum*, *Joannem*, etc. Ultimum genus, sub quo continetur homo, est *substantia*: homo enim ad classem substantiarum spectat; et substantia est genus quoddam supremum, utpote non habens supra se nisi *ens*, quod est transcendentele. Species suprema relate ad hominem erit *corpus*: genus namque illius supremum, seu *substantia*, immediate sub se habet *corpus* et *spiritum*. Differentia proinde suprema erit *materialitas*: substantia enim immediate contrahitur ad *corpus* et ad *spiritum* per *materialitatem* et *immaterialitatem*. Genus proximum est *animal*: sub *animali* enim immediate continentur *homo* et *brutum*. Differentia proxima seu specifica est *rationalitas*: per *rationalitatem* enim et *irrationalitatem* immediate contrahitur *animal* ad duas species sub se contentas. Genera intermedia erunt illa omnia quæ inter *substantiam* et *animal* existunt, seu *corpus* et *vivens*. Sub substantia enim immediate continentur *corpus* et *spiritus*; sub corpore vero *vivens* et *vita destitutum*; sub *vivente* denique corporeo *animal* et *planta*. Tandem species intermediæ erunt etiam *corpus* et *vivens*: omnes enim rationes universales, quæ intra genus supremum et infimum inveniuntur, et genera sunt et species: *genera* quidem relate ad alias minus universales sub se contentas, *species* vero relata ad alias universales sub quibus jacent.

67.—Fundamentum totius subordinationis factæ in hoc stat, quod conceptus nostri eo universales redduntur, quo magis crescit ipsorum indeterminatio per diminutionem notarum. Quo enim minor est numerus notarum conceptum aliquem determinantium ac circumscribentium; eo major est numerus individuorum ad quæ se extendit, et vice versa. Sic conceptus *entis* unam notam exhibet, quæ est *entitas* seu *realitas*; et ad omnia individua cujuscumque generis se extendit; cum omnia illa vere *entia* sint. Conceptus *substantiæ* duabus notis constat, *entitate* scilicet et *perseitate*; sed non se extendit nisi ad illa genera entium, quæ per se subsistunt et *substantiæ* vocantur. Con-

ceptus corporis exhibet tres notas, *entitatem*, *perseitatem* et *materialitatem*; sed jam non se extendit nisi ad substantias materiales sive corporneas. Conceptus *viventis* exhibet *entitatem*, *perseitatem*, *corporeitatem* et *vitam*; sed non se extendit nisi ad animalia et plantas. Conceptus *animalis* continet in se *entitatem*, *perseitatem*, *corporeitatem*, *vitam* et *sensibilitatem*; sed non se extendit nisi ad homines et bruta. Conceptus *hominis* continet in se *entitatem*, *perseitatem*, *corporeitatem*, *vitam*, *sensibilitatem* et *rationalitatem*; sed non se extendit nisi ad individua speciei humanæ, *Petrum*, scilicet, *Paulum*, *Joannem*, etc. Conceptus denique alicujus individui humani, v. gr. *Petri*, continet in se *entitatem*, *perseitatem*, *corporeitatem*, *vitam*, *sensibilitatem*, *rationalitatem*, et notas ejus individuanes; sed non nisi unum individuum *Petrum* repræsentat.

Hoc est quod significare intendunt philosophi, cum dicunt *extensionem alicujus conceptus* atque ejus *comprehensionem* relatione inversa inter se copulatas existere. Extensio enim conceptus dicitur *numerus individuorum*, ad quæ repræsentatione sua se porrigit; comprehensio vero est *numerus notarum*, quas in se continet. Hinc fit, ut conceptus *entis*, qui habet extensionem maximam, polleat comprehensione minima; et ut conceptus *Petri*, qui gaudet extensione minima, habeat comprehensionem maximam.

Numerus notarum comprehensionem constituens crescit per additionem, et minuitur per subtractionem eodem prorsus modo quo quantitas arithmetica. Hoc in causa est, ut essentiarum per nos apprehensæ se habeant ut numeri; et ut conceptus universales illas exhibentes unus intra alterum immediate contineantur ratione suæ universalitatis, prout se continent numeri arithmetici atque sphaeræ concentricæ.

68.—III. Sed jam ad universalialia directa animum convertamus, ut exinde diversa entium genera suprema seu *Categorias* perspiciamus. Prædicabilium studio id consequuti sumus, ut naturam generum et specierum cognosceremus ac modum inveniremus, quo omnes hi conceptus universales juxta gradum

suæ universalitatis inter se collocantur, seriem quandam completam efformando a genere *supremo* incipientem et in speciem *infimam* desinentem. Haud tamen scire potuimus quot series inter eos efformari possint; quia illos omnino abstracte consideravimus atque ad mundum realem et objectivum, in quo suum fundamentum habent, minime attendimus. Ad has igitur series detegendas mundus realis præ oculis nobis habendus est; diversasque universalium directorum classes perpendere oportet, quæ ex contemplatione hujus mundi in animo nostro resultant, quæque *Categoriæ* seu *Prædicamenta* vocantur.

69.—Numerus harum Categoriarum varius est pro varietate modorum quo objecta velit quis considerare; unde in eo determinando philosophi non conveniunt. Qui tamen a Scholasticis cum Aristotele eorum magistro traditur, præ omnibus aliis probandus est: tum quia ordinem objectivum sequitur, tum etiam quia in rerum experientia, ut optime inquit Suarez, fundamentum habet (1). Hos igitur magnos duces sequentes, Categorias, seu suprema entium genera, decem esse dicimus: *Substantiam* nempe, *quantitatem*, *qualitatem*, *actionem*, *passionem*, *relationem*, *ubi*, *quando*, *situm* et *habitum*. Consideratio Categoriarum ad metaphysicum spectat: logici vero proprium est eas simpliciter innuere, quatenus necessarium sit ad conceptus suos reflexos coordinandos. Proinde breviter hic singulas definiemus.

70.—Substantia dicitur *quod per se existit*, seu *quod non indiget alio ad existendum*, cui tamquam subjecto *inhæreat*, v. gr. *homo*, *lapis*, *arbor*, etc.

Quantitas est *extensio partium*, seu *partium extra partes positio*. Dividitur in *continuum* et *discretam*.

(1) «Censeo, inquit, de decem generibus summis eorum sufficientiam non aliter nobis constare, quam quia ex omnibus effectibus, quos experimur, non innotescunt nobis plura genera entium (Suarez, *Metaphys.*, disp. 39, sect. 2, n. 18).»

Continua constat partibus tali modo inter se unitis, ut finis unius sit principium alterius. In secunda unaquæque pars habet suos peculiare limites, licet alteram contingat. Quando partes illius præscindunt ab extensione et ut simplices entitates considerantur, tunc quantitas hæc *numerus* vocatur.

71. — Qualitas est *quædam dispositio substantiæ, illam perficiens aut aliquo modo determinans*. Hæc dispositio dicitur: 1.^o *habitus*, quando subjecto per eam determinato confert quandam facilitatem ad operandum; 2.^o *potentia naturalis*, quando reddit illud capax aliquid agendi vel sustinendi; 3.^o *qualitas sensibilis*, quando reddit illud aptum ad operandum in nostris sensibus; 4.^o *figura vel forma*, quando illius quantitatem aliqua ratione limitat. Exemplum primi sint *vitia et virtutes*; exemplum secundi *facultates operatiæ vel receptivæ*; exemplum tertii, *color, sapor, frigus, calor, etc.*; exemplum quarti *forma exterior* alicujus corporis.

Actio est *quælibet mutatio, quatenus procedens ab aliqua causa in exercitio posita*, v. gr. *ustio, calefactio, etc.*

Passio est *quælibet mutatio, quatenus in aliquo subjecto recepta*, v. gr. *motus corporum, affectiones gaudii, tristitiæ, etc.*, in animo receptæ.

72. — Relatio est *respectus unius rei ad aliam*, v. gr. *paternitas, filiatio, æqualitas, similitudo, etc.*

Ubi est *determinatio ex loco in rem proveniens*, v. gr. *esse hic, alibi, supra, infra, procul, etc.*

Quando est *determinatio ex tempore enascens*; ut cum dicimus: *Petrus veniet, Antonius jam profectus est, Franciscus heri occubuit, etc.*, diversas temporis determinationes enuntiantes.

73. — Situs est *dispositio partium in loco*: ut cum dicimus *Petrus sedet, Joannes stat, Franciscus jacet etc.*

Habitus est *denominatio quædam extrinseca in rem proveniens ex vestibus quibus cooperitur, ex armis quæ*

portat, ex ornamentis quibus condecoratur; ut cum dicimus: Homines honesti vestiti incedunt, milites irruunt in hostes armati, Rex venit coronatus, etc.

74.—Omnia quaecumque objecta cognoscere possumus, sub aliqua ex his Categoriis necessario collocari debent, ut ipsa experientia demonstrat. Proinde inter unumquodque illorum et Categoriā seu genus supremum ad quod pertinet, statui poterit determinata series conceptuum genericorum et specificorum a reliquis omnibus distincta; et sic tot diversae series horum conceptuum possibiles existent, quot sunt Categoriæ seu suprema rerum omnium genera. Supra, n. 63, seriem efformavimus ad Categoriā substantiæ spectantem, *Petrum* considerantes, quatenus individuum est *speciei humanæ*. Parī ratione possemus alias series contexere, alia genera entium in medium adducentes; sed id brevitatis causa omittimus et Professoribus relinquimus.

ARTICULUS II.

De simplici mentis apprehensione per signa sensibilia manifestata.

75.—Signa cogitationis externa directe ad Logicam non spectant. Logica enim ex se nonnisi rectam cogitationem pro objecto habet, cogitatio autem intus in animo versatur et a quocumque externo signo præscindit. Sed quoniam signa hæc in rectam vel pravam cogitationem non parum influere possunt, dum quis alium audit loquentem aut disputantem, aut libros philosophorum legit, aut scientificam disputationem instituit; etiam ipsa indirecte et per modum objecti secundarii ad illam pertinere dicenda sunt. Proinde non recte agunt illi, qui nostris temporibus in Scholasticos invehuntur, quod in Logica de terminis scripserint, de propositionibus, de argumentationibus, etc.; cum hæc omnia Philosophiæ alumno necessaria sint ad rectum Dialecticæ usum et ad scientiam, quam discere cupit, apte comparandam.

76.—Inter signa externa quibus cogitationes nostras aliis manifestamus, præcipuum locum obtinent *verba*, sive ore prolata, sive scripto exarata. De illis ergo præsertim in hoc arti-

culo agemus, ea considerantes, quatenus sunt *termini logici*; sub hac enim tantum ratione ad Logicam spectant. Et quia verba sunt *quædam species signorum*; prius de signo in genere, deinde de verbis, quatenus signa sunt cogitationis, denique de terminis logicis distinctis paragraphis loquemur.

§ I. QUOMODO DEFINIATUR AC DIVIDATUR SIGNUM.

77.—Signum definiri solet: *Illud quod prius cognitum nos ducit in cognitionem alterius*. Sic, *fumus* signum est *ignis*; quia ex visione fumi statim ignis existentiam inferimus. Ex hac definitione infertur cogitationes nostras non esse proprie signa objectorum per ipsas repræsentatorum; quia in illis non cognoscimus *restamquam in objectis prius visis*, sed proprie sunt media quædam, quibus objecta externa directe in se ipsis apprehendimus. Dicuntur quidem *signa suorum objectorum*; quia, etsi non per modum objecti visi, at saltem *per modum formæ* intellectum nostrum actuantis, in rerum cognitionem nos ducunt: res autem quæ hoc modo significant, non signa *ordinaria*, de quibus nunc loquimur, sed *formalia* et sui generis appellari debent.

78.—Duæ præcipuæ sunt species signorum, *naturale* nempe et *artificiale* seu *arbitrarium*. Primum est, *quod natura sua et ob intrinsecam suam connexionem cum re signata illam denotat*. Exemplo sint *fumus* et *effectus* *quilibet perfecte cognitus*. Hinc ex cognitione creaturarum ad supremum earum Auctorem cognoscendum assurgimus, atque ex artefacto quolibet actionem artificis ipsamque ejus existentiam inferimus.

79.—Secundum seu artificiale *non habet ex se connexionem cum re per ipsum significata, sed ex libera hominum conventionem eam sumit*; qui consensu tacito vel expresso talem significationem voluerunt rei alicui apponere. Hujusmodi generis sunt *verba*, quibus cogitationes nostras intus in animo latentes cæteris manifestamus, *hedera* vel aliud signum simile quod solet appendi ante cauponam, etc.

§ II. QUEMNAM LOCUM TENEANT VERBA INTER SIGNA
COGITATIONUM HUMANARUM.

80.—Verba sunt *articulati quidam soni ab hominibus prolati et tamquam signa cogitationum suarum ab eisdem adhibiti*. Actio qua hujusmodi sonos proferimus et ad nostras cogitationes per ipsos significandas adhibemus, dicitur *loquela*. Porro cogitationes hæ versantur, non modo circa objecta particularia et sensibilia, sed etiam circa universalialia et insensibilia. Unde, cum bestię conceptibus universalibus careant, manifestum est eas loquela humana omnino esse destitutas, licet aliquando sonos articulatos *materialiter* proferant; quia non adhibent illos ad significandum ideas universales, quibus omnino carent. Aliqua tamen loquela *imperfecta et humana inferiori* belluas uti minime negandum est: nam ipsæ quoque suos edunt sonos; aliasque actiones exteriores producant, quibus sensa sua intus latentia aliis ejusdem speciei loquendo manifestant.

81.—Belluarum loquela ejusdem generis est ac gemitus, suspiria, aliæque voces inarticulatæ ab hominibus sponte naturæ editæ ad dolorem, lætitiā, aliaque hujusmodi sensa manifestanda. Hinc signa hæc, sive a brutis, sive ab hominibus adhibeantur, inter mere *naturalia* computari debent; quia enim instinctu naturæ eduntur, idcirco ab omnibus individuis ejusdem speciei eodem prorsus modo fiunt, cum in eisdem adjunctis versantur.

82.—Aliter e contra accidit, cum de vocibus articulatis agitur. Has enim libere efformamus arbitrii nostri libertate; qua easdem, cum libet, pronuntiamus ad ideas significandas, quæ cum illis connexionem naturalem et intrinsecam minime gerunt. Hinc fit, ut omnes signa sint artificialia seu arbitraria, a mutua hominum conventionē, sive explicita sive implicita, libere profecta, et diverse pro diversis populis et nationibus adhibita.

83.—Si verba forent signa naturalia rerum per ipsa significatarum, deberent ex se et natura sua intrinseca cum illis connecti, sive ut effectus cum sua causa, sive ut causa cum suo effectu, sive ut imago cum suo exemplari. Atqui nihil horum accidit. Non *primum*: quia si ideæ forent causæ naturales verborum, per quæ extrinsecus significantur; ubicumque existerent eadem ideæ, haberentur eadem verba: quod tamen falsum esse ostendit diversitas linguarum. Non *secundum*: quia verba nullam ideam generant: sed solum in audientium imaginatione quædam phantasmata producunt, quibus illi proxime dispositi redduntur ad generandum in mentibus suis, nativa ipsorum virtute, ideas quas aliorum magisterio adquirunt, ut latius in Psychologia demonstrabitur. Non denique *tertium*: quia si verba forent imagines objectorum, inter verba et res per illa repræsentatas vera similitudo intercederet; et hanc similitudinem nos necessario perciperemus, quoties verba cum objectis comparamus. Quod tamen minime fit: quia, cum audimus aliquem loquentem lingua nobis ignota de rebus, quarum ideas in mente gerimus, similitudinem inter illos sonos et nostras ideas percipimus nullam. Ergo verba naturali vinculo cum objectis per ea repræsentatis non connectuntur; ac proinde illorum sunt signa, non naturalia, sed arbitraria (1).

84.—Verum quidem est multa verba, cum primum adhibita fuerunt, quandam similitudinem cum rebus gestasse; quam postea processu temporis, transformationes varias subeundo, amiserunt. Nam et nunc etiam verba *onomatopeica* efformamus, quorum sonus aliquo modo imitatur proprietatem aliquam rerum per ipsa significatarum. Hæc tamen similitudo imperfecta non confert illis ex se rationem signi *actualis*, sed tantum *aptitudinalis*: nam per illam non aliud obtinent soni verborum nisi aptitudinem quandam, ut ab hominibus eligi præ aliis possint in signa quorundam objectorum. Ergo hæc etiam verba res *de facto* non significant nisi ex libera hominum conventionione; ac proinde ut signa vere arbitraria et non naturalia habenda sunt.

(1) Cfr. P. Arriaga, *Cursus Philosophicus*: Logica, disp. 12, n. 17.

85.—Quod de vocibus articulatis diximus, ipsi scripturæ applicari debet: scriptura enim non est nisi verbum scriptum. Scriptura igitur est signum arbitrium ab hominibus libere electum ad loquendum cum absentibus; quamvis bene accidere potuit, ut characteres litterarum primitus speciem quamdam picturæ gererent, quam jam in præsentia non habent, ut inter alia characteres alefati hebraici demonstrant. Imo forte prima scriptura mera depictio objectorum materialium fuit; cui postea signa aliqua arbitraria admixta fuere, donec tandem ex solis hisce ultimis propter maiorem suam facilitatem conflata est. Porro ad ita cogitandum scriptura apud antiquos populos orientales in usu habita non leve nobis fundamentum præbet.

86.—Tum verba, tum scripturam loco ipsorum objectorum ponimus. Sic, cum ore aut scripto hanc sententiam pronuntiamus: *Mors peccatorum pessima*, nihil de litteris aut verbis dicere intendimus, sed de ipsis peccatoribus per illa signa demonstratis. Utraque ergo directe in hoc tendunt, ut objectum repræsentent in mente loquentis existens, cum ad hoc a loquente adhibeantur. Sed quia hic significare aliis res non intendit nisi quatenus ab ipso perceptas; idcirco scriptura et verba modo quodam implicito etiam ipsas perceptiones loquentis significant. Uno verbo, scriptura et verba signa quidem sunt idearum, sed quatenus ideæ objective sumuntur.

87.—Aliqua tamen diversitas relate ad modum quo verba et scriptura objecta significant, minime neganda est. Scriptura namque repræsentantur res, quatenus jam antea per voces expressæ, ut quisque sibi experiendo comprobare potest. Non enim aliter sententias scriptis impressas intelligere possumus, quam repræsentatione imaginaria vocum, quibus sive externe sive interne saltem ea loquendo pronuntiamus. Unde fit, ut, cum sensum harum vocum ignoramus, nihil prorsus legentes intelligamus; quamvis modum, quo scriptura legenda est, optime sciamus.

88.—Quamquam hoc nonnisi in genere verum est: signa enim graphica, quæ hispano sermone *cifras* dicimus, immediate

objecta exprimunt, quin ad voces ullo modo se referant. Nam cum numeros 1, 2, 3, 4, etc. scriptos invenimus, statim objecta per illos repræsentata intelligimus, sive hispani simus, sive galli, sive germani, etc. Hinc hujusmodi signa *ideographica* vocantur, quia immediate in objecta nos referunt; dum e contra cætera, quia immediate nonnisi in voces ducunt, *phonetica* dicuntur. Imagines objectorum, litteræ Sinensium, multaque alia signa arbitraria apud antiquos in hieroglyphicis usitata inter signa ideographica computanda sunt: e converso scriptura in usu habita apud recentiores populos ad signa phonetica spectat.

89.—Verum non modo verbis sed etiam *gestibus* cogitationes nostras exterius manifestamus. Est autem *gestus motus quidam corporis ad significandas interiores animi cogitationes productus ac proinde in signum illarum assumptus*. Dividitur primo in *purum* et *mixtum*. Purus dicitur ille, *qui nullam sibi vocem articulatam admixtam habet*, qualis est gestus mutorum a nativitate. Mixtus e contra erit, *qui et vocibus constat et motibus corporis sensibilibus*. Altera divisio gestus est in *naturalem* et *arbitrarium*; gestus enim, non secus ac voces, et sponte naturæ aliquando producitur, et libere ad aliquid significandum assumitur. Naturali exprimimus animi passiones, ut *dolorem, lætitiā*, etc.; arbitrario autem mentis ideas. Utriusque conjunctione admirabiles effectus per oratores producuntur ac surdo-mutorum lingua efformatur.

90.—Verba tamen longe gestibus præstant; tum ratione inflexionum et combinationum, quarum capacia existunt; tum quia per illa colloqui possumus inter ipsas tenebras et cum amicis late distantibus; tum denique quia usus linguæ faciliior et commodior est quam motus digitorum, manuum et cæterarum partium corporis, quibus loquela gestuum constat. Hoc in causa est, cur verba tamquam præcipua signa cogitationum reputata semper fuerint ab omnibus populis (1).

(1) Cfr. Arriaga, *Logica*, disp. 13; item Balmes, *Grammatica*, capp. 2, 3, 16, 17.

§ III. QUID ET QUOTUPLEX SIT TERMINUS LOGICUS.

91.—Nomine *termini* intelligitur *finis* seu *limes alicujus rei*. Hoc sensu dicimus beatitudinem esse *ultimum virtutis terminum* et infelicitatem *ultimum terminum viliorum*. Alias prædicta vox significat idem ac *principium* et *finis alicujus rei*, ut cum dicimus: *Hæc duo puncta sunt principium et finis hujus lineæ*. Hoc secundo sensu accipitur in Philosophia, quando sermo est de *terminis logicis*. Nam termini in Logica dicuntur *subjectum* et *prædicatum orationis*, seu *id de quo aliquid enuntiamus* et *illud quod de aliquo dicimus*. Oratio autem est *quoddam totum logicum*, cujus duo extrema sunt *subjectum* et *prædicatum*.

92.—Aliqui tamen contendunt *verbum*, seu *vocem illam, qua relatio prædicatum inter et subjectum existens exprimitur*, inter veros terminos esse computandam. Sed hoc admitti nequit, si de terminis logicis loquamur. Et re quidem vera, verbum vocari terminus non potest, ni vox ista late pro *vocabulo* sumatur: nam per illud relationem inter subjectum et prædicatum intercedentem, *copulæque* nomine vocatam exprimimus; minime vero extrema ipsa judicii designamus, quæ sunt subjectum et prædicatum. Propter eandem rationem adverbia a terminis logicis removenda sunt: proprie enim non aliud significant quam subjecti ac prædicati affectiones seu determinationes quasdam.

93.—Declarata ratione termini logici, ad diversas ejusdem species veniamus. Et in primis notandum est terminum logicum dividi in *simplicem* et *compositum*, *absolutum* et *connotativum*, *concretum* et *abstractum*, *geometricum* et *purum*, *realem* et *logicum*, *finitum* et *infinum*, *collectivum* et *distributivum*, *singularem*, *particularem* et *universalem*; secundum quod aliquem ex his conceptibus significet (41). Conceptus enim ita considerati objective sumuntur et rationes

quasdam objectivas exprimunt, quæ in oratione locum tenent sive subjecti, sive prædicati.

Huic observationi altera addenda est; divisionem scilicet conceptuum subjective sumptorum ad diversos terminos logicos explicandos nihil conferre. Verba enim quibus tales conceptus manifestamus, non significant nisi determinationes quasdam horum conceptuum, quatenus subjectivi sunt; ac proinde non exprimunt quodnam subjectum orationis sit aut prædicatum. Dicimus terminum *obscurum, clarum, distinctum, confusum*, etc.; sed tunc terminum late pro *vocabulo* sumimus, non autem stricte pro *termino logico*. His observationibus præmissis, quænam sint terminorum logicorum classes speciatim dicamus.

94.—Terminus logicus primo dividitur in *significantem per se et significantem cum alio*, seu in *categorematicum* et *syncategorematicum*. Primus est ille, qui *per se solus et absque auxilio alterius potest esse subjectum vel prædicatum orationis*, v. gr. *homo, lapis, arbor*, etc. Secundus e contra est ille, qui *nec subjectum nec prædicatum orationis potest esse nisi conjunctus cum alio*, v. gr. *omnis, aliquis, pulchre, qui*, etc.

95.—Secundo loco dividitur terminus logicus in *fixum* et *vagum*. Fixus est ille, qui *semper eandem significationem retinet*; vagus e contra est, qui *nunc hanc, nunc aliam significationem habet*. Exemplum primi sit *homo*, qui semper significat *naturam humanam*. Exemplum secundi sit verbum *natura*, quod nunc sumitur pro *universitate rerum creaturarum*, nunc pro *supremo Auctore illarum*, nunc pro *re opposita libertati*, nunc pro *inclinatione intrinseca rerum ad suos proprios fines et actiones*, nunc pro *intrinseca rei alicujus essentia* etc.

96.—Tandem terminus logicus dividitur in *univocum, æquivocum* et *analogum*. Porro univocus dicitur terminus, qui *pluribus applicatur cum eadem prorsus significatione*, v. gr. *animalitas*: nam ratio objectiva per hanc vocem significata eadem omnino est in *homine* et in *bruto*. Omnes termini quibus designantur genera

et species, univoci sunt; quia rationes objectivæ per illos significatæ uniformiter descendunt ad singula suorum inferiorum et uniformiter de illis prædicantur (63).

97.—Terminus æquivocus est ille, qui pluribus rebus applicatur in diversa prorsus significatione. Tale est ex. gr. vocabulum *gallus*, quod et pro quadam specie avium sumitur et pro homine ad Galliam pertinente.

98.—Denique analogus est ille, qui pluribus rebus applicatur in significatione partim eadem, partim diversa, v. gr. vocabulum *sanus*; quod et de animali dicitur, et de ejus colore, et de medicina, et de urina; retinetque in singulis significationem ex parte quidem communem ex parte vero diversam. In omnibus enim significat sanitatem, in animali ut in subjecto illam habente, in colore ut in signo eam denotante, in medicina ut in causa apta ad illam producendam, in urina ut in effectu per animal sanum causato.

99.—Exinde apparet analogia medium locum tenere inter univoca et æquivoca. In æquivocis enim solum nomen habetur commune; in univocis non solum nomen sed etiam ratio objectiva significata per nomen prorsus communis est; in analogis autem præter identitatem nominis habetur quidem communitas rationis objectivæ sed non omnino perfecta.

100.—Analogia autem duplex est; attributionis scilicet et proportionis. Prima consistit in habitudine unius rei respectu alterius vel plurium respectu unius. Sic *medicina* et *color* dicuntur sana per habitudinem ad sanitatem animalis, cujus est proprium illam possidere. Porro *analogum* ad quod alia referuntur, dicitur *principale*; cætera vero appellantur *secundaria*.

101.—Hæc ipsa analogia attributionis rursus alia est primæ, alia vero secundæ classis. In analogia attributionis primæ classis forma denominans est intrinseca principali tantum analogato, cæteris vero extrinseca; ut accidit in *sanitate*, quæ intrinsece non in-

venitur nisi in animali: de medicina enim, colore, urina, etc. non dicitur nisi extrinsece et per quandam denominationem. In analogia vero attributionis secundæ classis forma denominans est quidem intrinseca tam secundo analogato quam principali; sed in principali invenitur plenius et antonomastice, in secundo autem imperfectius et per quandam quasi participationem. Hujus rei exemplum sit *ens* respectu *substantiæ* et *accidentis*: tam enim accidenti quam substantiæ competit intrinsece ratio entis, sed in hac secunda plenius invenitur quam in primo, cum accidens potius quam ens sit *entis ens*.

102.—Circa duas has analogiæ attributionis species hæc sapientissime scribit Suarez: «Deinde observandum est, duobus modis, generatim loquendo, posse aliquam rem denominari per attributionem ad aliam. Unus est, quando forma denominans in uno extremo tantum est intrinsece, in aliis vero solum per extrinsecam habitudinem, quomodo dicitur *sanum* absolute de animali, et de medicina per attributionem ad animal. Alter est, quando forma denominans intrinsece est in utroque membro, quamvis in uno absolute, in alio vero per habitudinem ad illud, ut ens dicitur de substantia et accidente: accidens enim non denominatur ens extrinsece ab entitate substantiæ sed a propria et intrinseca entitate, quæ talis est ut tota consistat in quadam habitudine ad substantiam. Inter quos duos modos est multiplex differentia. Una est, quod in priori attributione nomen attribuitur secundo significato solum improprie et per metaphoram vel figuram aliam; in posteriori est propriissima, imo et potest esse essentialis denominatio, quia sumitur ab intrinseca forma vel a propria natura. Alia est, quod in priori attributione secundarium analogatum, ut tale est, seu ut tali nomine significatur, definitur per primum analogatum; ita ut oporteat hoc poni in definitione illius; si enim declarare velis, quid sit medicinam esse sanam, dices esse effectricem vel conservatricem sanitatis animalis. Cum enim solum extrinsece denominetur talis ab illa forma, non potest nisi per illam definiri, ut notavit D. Thom., 1. p. q. 13, art. 6. At vero in poste-

riori attributione non est necesse ut posterius analogatum per principale definiatur, ut notavit Cajetanus, eodem art. 6, ex D. Thom., q. 2. de *Veritate*, art. 11. Et inductione probatur; quia licet sapientia dicatur analogice de creata et increata, non tamen definitur sapientia creata per increatam: et accidens, licet, in quantum accidens, definiatur per substantiam, non tamen in quantum ens. Et ratio est, quia forma, a qua sumitur illa denominatio, non est extrinseca sed intrinseca; quæ, ut illo nomine significatur, cum abstracte ac præcise significetur, non includit in sua ratione proprium modum, quo talis forma est in aliquo ex analogatis. Tertia differentia est, quod in priori attributione non datur unus conceptus communis omnibus analogatis, quia forma unde sumitur, in uno tantum est intrinsece ac proprie, in aliis per tropum et extrinsecam denominatio- nem: at vero in posteriori attributione datur unus conceptus communis formalis et objectivus; quia analogata proprie et intrinsece talia sunt, vereque in tali ratione conveniunt, quam potest mens abstracte seu præcise concipere uno concepto omnibus communi. Ultima differentia addi potest, quod nomen analogum priori attributione non potest esse medium demonstrationis; quia non est medium ratione nominis, sed ratione conceptus. Unde cum nomen subordinetur pluribus conceptibus, non est unum medium sed multiplex et æquivocum. Secus vero est in posterioribus analogatis propter contrariam rationem (1).»

103.—Analogia proportionis explicatur ab ipso Suarezio his verbis: «Analogia proportionis sumitur ex proportionem plurium rerum in ordine ad aliquos terminos; et consistit in hoc, quod principale analogatum denominatur tale a sua forma absolute considerata; aliud vero, licet a sua forma similem denominationem recipiat, non tamen absolute considerata, sed quia in ordine ad illam servat quamdam proportionem cum habitudine primi analogati ad suam formam: ut homo dicitur ridere a proprio actu ridendi absolute sumpto, pratum vero dicitur ridere a viriditate sua, non absolute considerata, sed prout servat quamdam proportionem pratum viride ad hominem riden-

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 28, sect. 3, n. 14.

tem. Et quia hæc est proportio inter duas habitudines, ideo solet *proportio proportionum* seu *proportionalitas* appellari (1).

104.—Analogia igitur proportionis nihil aliud est quam *quædam proportio seu similitudo habitudinum, secundum quam ita se habet secundum analogatum ad suam formam sicut primum ad suam propriam*. Ideo optime vocatur a Suarezio *proportio proportionum* seu *proportionalitas*. Notandum tamen est, ad analogiam proportionis non sufficere proportionem habitudinum qualemcumque, sed requiri ut unum ex analogatis sit tale per suam formam relative et cum ordine ad aliud inspectam. Proportio enim habitudinum inveniri etiam potest in his quæ non sunt analogæ sed univocæ, ut cum dicimus: *Sic se habet Petrus ad suam humanitatem, sicut Joannes ad suam*.

Audiamus ipsum Suarezium optime de his disserentem. «Sed advertendum censeo, scribit, non omnem proportionalitatem sufficere ad constituendam analogiam proportionalitatis: nam hæc proportio habitudinum inter res univocas vel omnino similes inveniri potest. Nam sicut se habent quatuor ad duo, ita octo ad quatuor, et sicut homo comparatur ad suos sensus, vel ad principium sentiendi, ita equus ad suos, et tamen illa proportio non constituit analogiam, neque aliquod genus nominis communis; nam nomen univocum *animalis* vel *dupli* non sumitur ex illa comparatione, sed ex unitate rationis in singulis membris inventæ. Ad hanc ergo analogiam necesse est ut unum membrum sit absolute tale per suam formam, aliud vero non absolute, sed ut substat tali proportioni vel comparationi ad aliud (2).»

105.—Hæc sapientissimi Suarezii animadversio sufficiens nobis fundamentum præbet ad cogitandum cum P. Ruvio analogias proportionis et attributionis non esse realiter distinctas; rebusque bene consideratis, hanc ultimam tantummodo esse admittendam. Si enim *proportionalitas* per se sola non sufficit

(1) Id. *ibid.* n. 4.

(2) Suarez, *loc. cit.* nn. 10-11.

ad constituendam veram analogiam proportionis, eo quod inveniri potest inter ipsas res univocas, sed requiritur ad hoc habitudo quædam analogati secundarii ad principale; signum manifestum est hanc etiam analogiam in prædicta habitudine consistere. Jam vero habitudo secundarii analogati ad principale est illud quod nomine *analogiæ attributionis* insignitur. Ergo vere et proprie non est nisi una analogia attributionis, quæ nunc proportionalitatem sibi adjunctam habet, nunc vero illa destituitur.

ARTÍCULO III.

De mediis quibus perceptiones nostræ ad verum consequendum diriguntur.

106.—Nostras perceptiones ad verum dirigi posse, res in comperto est. Quo enim modo cumque considerentur, dubitari minime potest illas in rectitudinem et deformitatem nostrorum judiciorum maxime influere; ac proinde posse Logicam illis regulas dictare, ne ad judicia erronea et a rebus difformia nos pertrahant.

107.—Difficultas tantum est utrum simplex apprehensio directe et ratione sui possit dirigi per regulas Logicæ, vel tantum indirecte et ratione judiciorum a veritate aberrantium, ad quæ aliquando perducit. Circa hoc duplex est inter philosophos opinio. Alii enim judicant simplicem apprehensionem essentialiter veram esse, seu objecto suo conformem, ac proinde ratione sui Logicæ regulis non subiacere. Alii e contra contendunt illam, non secus ac judicium, a vero aberrare posse; ac propterea directe et in se ipsa Logicæ directione indigere. Solutio hujus quæstionis ex dicendis in *Critica* patebit: in præsentia vero id tantum nobis sufficit scire, simplicem apprehensionem, quomodocumque spectetur, per regulas Logicæ dirigi posse.

108.—Quæcumque vero media ad simplicem apprehensionem in verum ordinandam excogitentur, in id omnia collineare debent, ut perceptiones rerum cla-

ras et distinctas habeamus. Omnis enim error, qui ex illis in nostra judicia derivatur, exinde enascitur, quod obscuritate et confusione sua occasionem nobis præbent ad male judicandum de rebus. Media autem in hunc finem ab ipsa natura dictata sunt *definitio*, *divisio*, et *apta loquutio*. Definitione namque rem ab omni alia separamus et claram illius ideam adquirimus; divisione rem sic definitam in suas partes distribuimus, quo distinctam illius notitiam adquirimus; apta denique loquendi ratione rem clare et distincte conceptam clare et distincte exprimimus et errandi periculum in aliis vitamus. De triplici ergo hoc medio tripartito nunc paragrapho nobis agendum est.

§ I. QUID ET QUOTUPLEX SIT DEFINITIO, ET QUIBUSNAM
REGULIS REGATUR.

109.— Definire nihil aliud est quam *rem aliquam limitibus circumscribere*. Quando ergo rem definimus, illam limitibus propriis circumscribimus; et hoc facientes, eam ab omni alia mentaliter separamus. Porro limites hi non sunt nisi notæ, quibus res constat ac per quas a cæteris discernitur. Cum ergo notæ seu proprietates, quibus res aliqua constat et per quas ab omni alia distinguitur, illius *essentiam* constituent; recte dicere possumus definitionem esse *illum mentis actum quo rei alicujus essentiam explicamus*.

110.— Res definita potest esse vel *vox* aliqua, vel *objectum* per vocem significatum. In primo casu habetur definitio *nominalis*, in secundo vero definitio *realis*. Hinc definitio nominalis est *illa, qua vocabuli essentiam explicamus*, dicendo quænam sit ejus significatio; ut cum dicimus: *Angelum* græce idem sonare ac latine *Missum*. Definitio vero realis *ea est, qua essentiam rei per vocabulum designatæ evolvimus*; ut cum dicimus: *Angelus est quædam substantia intellectualis, corporis expers et natura sua immortalis*. In hac secunda

definitione vocabuli significationem jam notam supponimus; ac proinde, in omni quæstione solvenda, definitio nominalis réali præmittenda est.

111.—Definitio realis rursus dividitur in *essentialem*, *descriptivam* et *geneticam*. Essentialis fit *enumeratione notarum essentialium rei definiendæ* (61): *descriptiva enumeratione attributorum et proprietatum accidentalium* (62): *genetica explicatione modi quo res aliqua fit*. Exemplo primæ sit sequens: *Homo est animal rationale*. Exemplo secundæ sint hæc: *Homo est animal facultate loquendi præditum: homo est rex totius creationis et in cujus bonum hæc Deus sensibilia creavit*. Exemplo tertiæ hæc esse potest: *Circulus est figura plana revolutione lineæ unum ex extremis fixum habentis generata*.

112.—Definitio essentialis philosopho præsertim congruit, qui rerum essentias metaphysicas et a conditionibus sensibilibus abstractas investigat; tum etiam mathematico, qui essentias rimatur sub conceptu quantitatis abstractæ contentas. Descriptiva oratoribus et poetis magis convenit; qui res manifestare solent depingendo ipsarum causas, effectus, attributa et proprietates accidentales. Tandem genetica geometris magis accommodatur, qui frequenter in suis demonstrationibus ea uti solent. Inter omnes vero essentialis perfectior est; quia directe et formaliter rei essentiam declarat, dum e contra aliæ duæ illam non demonstrant nisi indirecte et virtualiter in suis causis vel effectibus.

113.—Omnes hæ definitiones, ut bonæ sint, quibusdam conditionibus constare debent. *Prima est, ut sint clariores re per illas definienda*; quia secus ad nihil inservirent, cum objectum clariori in luce non colloca-
rent. *Secunda est, ut res definita non ingrediatur in definitionem*; quia secus hæc non esset clarior illa. *Tertia est, ut sint positivæ, ita ut per illas constet vere, non solum quid non sit res, sed etiam quid sit*. Aliquando tamen quid sit res in se ipsa scire non possumus, sed tantum quid non sit: tunc sane ratio dictat ut definitione illius negativa

contenti simus. Præterea, post datam definitionem positivam alicujus rei, licitum est contrariam ejus definitione negativa explicare. Sic, postquam dixeris compositum esse *quid partibus constans*, fas tibi erit simplex definire dicendo illud *rem quamdam esse partibus destitutam*. Denique quarta conditio est, *ut definitio toti et soli definito conveniat*. Quod quidem exinde patet, quia munus definitionis est rem definitam ab omni alia secernere; id autem non aliter obtinere possumus, quam per complexum notarum, qui *illi toti et soli* conveniat.

114.—Præter has dotes; definitio essentialis alia etiam pollere debet; quæ quidem summi momenti est. Hæc dos in eo consistit, *ut conceptus rei definientæ in duos tantum alios resolvatur; quorum primus sit genus proximum et alter differentia specifica* (65). Per genus enim proximum illam secernimus ab aliis, quæ simul cum ea continentur sub aliis generibus altioribus; per differentiam vero proximam illam sejungimus ab omnibus aliis alterius speciei, quæ genere eodem cum illa conveniunt; et sic optime et breviter fit separatio plena. Sic apte definimus *hominem*, dicendo eum esse *animal rationale*. Per notam enim *animalitatis* illum constituimus in classe *sentientium*; et ita secernimus ab omnibus generibus entium, quæ vita sensitiva carent. Per notam vero *rationalitatis* illum reponimus in classe *animalium ratione utentium*: et sic eum separamus a belluis; quæ sentiendi quidem facultate donantur, vera autem ratiocinia conficere non possunt.

115.—Definitio rei, quæ brevis simul et exacta sit, non parvam difficultatem continet, ac nonnisi post multam meditationem dari potest: in quo quidem primum locum tenet Aristoteles, secundum vero Angelicus Doctor. Duas autem vias designat Stagirita in libro *Analyticorum posteriorum* secundo ad definitionem aptam conficiendam. *Prima* in eo consistit, ut ex genere supremo, sub quo res definienda invenitur, ad ultimum usque descendamus et huic differentiam specificam adjungamus: ut, si *hominum* definire velimus, ex genere *substantiæ* ad genus

animal gradum faciamus; et animali differentiam specificam hominis adjungentes, dicamus: *Homo est animal rationale*. *Secunda* in eo reponitur, ut ex notis individuantiis rei definiendæ ad specificas ascendamus, atque ex specificis ad immediate superiores et generis proximi proprias gradum faciamus: ut si hominis essentiam declarare velimus, dicamus: Petrus, Paulus, Joannes, et omnes generatim homines hoc sibi proprium vindicant, ut ratiocinando suas ideas efforment: *rationalitas* ergo debet esse differentia eorum specifica. Aliunde vero sola *rationalitate* a belluis distinguuntur, eo quod cum illis communem habeant *animalitatem*. Ergo hominem recte definire possumus dicendo illum esse *animal quoddam rationale*.

116.—Aliquando definitionem rei essentialem dare haud possumus: sive quia ejus essentiam ignoramus; sive quia res, de qua agitur, supra omnia genera vagatur aut immediate a nobis cognoscitur cognitione quadam intuitiva et in alias minime resolubili. Sic essentialis tam Dei quam conceptuum transcendentalium definitio nobis impossibilis est: quia tam Deus quam transcendentalia sub nullo genere continentur, ac proinde eorum definitio constare nequit ex genere proximo et differentia specifica. Pariter quædam facta interna nobis per conscientiam manifestata ita cognoscimus, ut eorum conceptus in alios simplicioresolvere nequeamus. In omnibus his casibus definitio descriptiva loco essentialis adhibenda est, ut aliquo modo res illustretur et clarior ejus cognitio obtineatur.

§ II. QUID ET QUOTUPLEX SIT DIVISIO, ET QUIBUSNAM REGULIS SUBDATUR.

117.—Dividere nihil aliud sonat quam *rem aliquam in diversas partes distribuere*. Hinc divisio definiri solet: *Totius in suas partes distributio*. Ut hæc definitio clarior evadat, explicare oportet quid nomine tum *totius*, tum *partis* intelligamus. Porro totum dicitur *omne id, quod unum est et in plura resolvi potest*: partes vero appellantur *illa elementa, ex quorum conjunctione resultat totum*. Sic *humanitas* est quoddam totum; ejus vero

partes sunt *animalitas* et *rationalitas*, quia in illas immediate resolvitur.

118.—Totum potest esse *physicum*, *metaphysicum* et *logicum*. Primum *constat partibus realiter et physice inter se distinctis*; ut homo, cujus partes sunt anima et corpus. Secundum *constat partibus virtualiter tantum distinctis*, v. gr. *humanitas*. *Animalitas* enim et *rationalitas*, quæ partes sunt *humanitatis*, nonnisi virtualiter inter se distinguuntur; cum animalitas hominis realiter non habeatur nisi per unicam ejus animam, quæ vere est rationalis. Tertium denique *constat partibus sola cogitatione nostra distinctis*; ita ut res nullum fundamentum nobis præbeat ad distinguendas in ea diversas partes, prout accidit in toto metaphysico; sed tota illa, distinctio fundetur in nostro modo imperfecto concipiendi. Talis est ex. gr. *genus* cujus partes sunt *diversæ species*, ad quas sese extendit. Tam enim *genus* quam *species* et *differentia* entia quædam pure logica sunt (46), quæ existere non valent nisi in intellectu, quæque totam suam existentiam idealem recipiunt ex modo nostro naturali cognoscendi res per conceptus inadæquatos et imperfectos.

119.—Tam totum *physicum* quam *metaphysicum* vocantur *actualia*; quia partes illorum, sive reales sive virtuales, actu in ipsis existunt. E contra totum *logicum* non est *actuale* sed *potentiale*; quia universale, in quo totum *logicum* consistit, est unum in actu et multa in potentia, ac proinde partes illius vere non sunt actu in illo sed potentia tantum. Sic in *Petro* sunt actu *anima* et *corpus*, quibus constat; in *humanitate* etiam actu existunt *animalitas* et *rationalitas*. At vero in *genere* non sunt actu *species*, ad quæ se extendit, sed solum virtualiter et in potentia: nam *species* non habentur sine *differentia* et *differentiæ* sunt *extra* notionem generis, cique extrinsecus superadduntur (63).

Totum *actuale* proprie dicitur *totum*, quia veras partes habet, sive *physicas*, sive *metaphysicas*: *potentiale* vocatur *omne*, quia

est quoddam universale partibus tantum potentialibus constans. Totum actuale habet partes in *comprehensione*, potentiale vero in *extensione* (67); primum prædicatur de partibus suis collectivè sumptis, secundum vero de partibus suis distributive acceptis.

120.—Partes totius physici sunt vel *essentiales* (61), vel *accidentales* (62); secundum quod constituunt essentiam, aut sunt aliquid ex illa sive necessario sive accidentaliter derivatum. Partes accidentales vocari solent *integrales*: quia ad entis integritatem pertinet: dividuntur vero in *homogeneas* et *heterogeneas*, eo quod vel *ejusdem* vel *diversæ naturæ* esse possunt. Partes totius metaphysici omnes sunt *essentiales*; quia totum metaphysicum semper est quædam essentia.

121.—Partes totius logici, id est, inferiora omnia, ad quæ universale aliquod se extendit et de quibus prædicari potest, vocantur *subjectivæ*; quando universale ad sua inferiora uniformiter descendit seu per viam univocationis (96): e contra vero dicuntur *potestativæ*; quando ad illas descendit per viam analogiæ (98). Sic, *species humana* et *belluina*, v. gr. sunt partes subjectivæ generis *animalis*: quia *animalitas* univoce de illis prædicatur: *justitia* autem *commutativa* et *legalis* sunt partes potestativæ generis *justitiæ*; quia ratio *justitiæ* invenitur in prima tamquam in analogato principali, in secunda vero tamquam in analogato secundario (100).

122.—His præjactis, haud operosum erit diversas divisionum species explicare. Et re quidem vera, cum divisio sit totius in suas partes distributio, tot erunt divisiones faciendæ, quot sint diversa partium genera. Divisio ergo erit *realis* vel *logica*; secundum quod partes dividendæ *realiter* vel *logice* inter se distinguantur.

Logica rursus erit vel *rationis ratiocinatæ* vel *rationis ratiocinantis*; prout objectum circa quod versatur, præbeat fundamentum ad illam faciendam, vel secus. Divisio rationis ratiocinatæ, seu in objecto fundata, vocatur ab aliquibus *virtualis* et *metaphysica*; altera vero rationis ratiocinantis, seu ex solo modo no-

stro concipiendi derivata, dicitur ab eisdem pure *logica*.

Pariter divisio physica subdividitur in *essentialem* et *integralem*; secundum quod partes realiter inter se distinctæ ad essentiam compositi pertineant, seu tales sint, ut hoc sine illis existere nequeat; vel e contra solummodo ad ejus integritatem et perfectionem requirantur.

Cum dicimus v. gr. hominem *anima* et *corpore* constare; divisionem instituimus realem, physicam et essentialem. Cum vero addimus hominis corpus *capite*, *manibus*, *pedibus*, etc., compositum esse; divisionem facimus integralem. Cum aſserimus elementa humanam naturam constituentia esse *animalitatem* et *rationalitatem*; divisionem conficimus metaphysicam seu virtuales. Cum denique genus in suas species dividimus, dicendo *animal* v. gr. *hominem* et *brutum* sub se comprehendere; distinctionem pure logicam perficimus.

123.—Ut divisio recte fiat, quibusdam dotibus polere debet. *Prima* est, *ut sit adæquata*, ita ut omnia membra rei dividendæ in se contineat. Ratio est; quia divisio est totius in *suas* partes distributio, ac proinde in omnes sese extendere debet. Sic male divideret, qui diversas Hispaniæ provincias ita enarraret, ut Vasconiam omitteret.

Secunda in eo consistit, *ut non sit redundans, ita ut unum illius membrum in altero includatur*. Sic non recte divideret, qui mundum in *Europam*, *Asiam*, *Africam*, *Americam*, *Oceaniam* et *Hispaniam* distribueret; quia hæc ultima in prima continetur.

Tertia in eo reponitur, *ut sit immediata*: ita ut membra illius sint partes illæ, quibus immediate componitur res dividenda; minime vero illæ, quibus hæ partes rursus componuntur. Ratio est; quia conceptus nostri ratione suæ universalitatis sunt omnes ad modum numerorum seu sphaerarum concentricarum ordinate inter se contenti, ac proinde gradatim ex

uno in alterum descendendum est (67). Sic non rectam quis divisionem faceret dicendo *substantiam* distribui in *spiritualem*, *rationalem* et *irrationalem*; quia *rationalitas* et *irrationalitas* sunt duæ differentiæ generis *animalis*, quod longe distat a genere *substantiæ*.

Quarta denique est, *ut non sit nimia*; quia nimia divisio et fastidium generat in voluntate, et obscuritatem producit in intellectu. «Idem enim, ut recte ait Seneca, vitium habet nimia, quod nulla divisio: simile enim confuso est quidquid usque ad pulverem sectum est (1).»

§ III. QUINAM ESSE DEBEAT VOCABULORUM USUS.

124.—Ut ex supra dictis constat (86), cum verba facimus, vocabula loco objectorum ponimus. Hæc vero actio, qua verba loco rerum usurpamus, *usus vocabulorum* atque etiam *suppositio* nuncupatur. Unde fit ut suppositio, seu usus vocabuli, pro *significatione* sumatur, quam ei sive in loquendo, sive in scribendo, tribuimus. Ne igitur ex præpostero vocabulorum usu obscuritas aliqua aut confusio conceptibus nostris adveniat, quædam regulæ nobis servandæ sunt, quas hic breviter subjiciemus.

125.—Ad hoc vero prius notare oportet duplicis generis vocabuli alicujus posse usum existere, *activum* nempe et *passivum*. Utimur *active* vocabulo aliquo, quando nos illud ad aliquid significandum adhibemus: utimur vero *passive*, quando significationem ei ab altero appositam interpretamur. Utrumque ergo usum hujusmodi regulæ gubernare debent.

126.—I. Porro quæ ad usum activum spectant, sunt sequentes: 1.^a *Verba adhibere debemus in significatione apud omnes recepta*. Ratio est, quia significatio verbo-

(1) Seneca, epist. 89.

rum sumitur ex expresso vel tacito hominum, quibus cum vivimus, consensu. 2.^a *Vitanda a nobis sunt vocabula obscura, aut saltem non nisi cum adjuncta explanatione adhibenda.* Ratio est; quia ex obscuritate vocabuli redundare naturaliter debet obscuritas ideæ in mente audientis vel legentis. Hinc, quando verba multiplicem significationem habent; monere debemus de sensu a nobis appposito illos ad quos noster sermo dirigitur. 3.^a *Significatio semel apposita servanda deinde est in toto decursu sermonis; nec illam mutare licet, quin audientem vel legentem de hac mutatione moneamus.* Ratio est; quia secus locutio nostra obscura foret contra præcedentem regulam. 4.^a *Denique in re scientifica vitare debemus, quantum fieri possit, vocabula tropica et figurata.* Ratio est; quia vocabula hæc obscuritate quadam conceptum involvunt; errorique ansam præbent, illum tegendo velamine similitudinum atque allegoriarum, quæ illis sunt propriæ (98).

127.—II. Quæ vero usum passivum respiciunt, his continentur. 1.^a *Verba aliorum in sensu obvio et naturali, ni aliquid obstat, interpretanda sunt.* Ratio est; quia, ni rationes graves adsint contrarium suadentes, supponere debemus auctorem et sensum verborum apud omnes receptum intellexisse, et illum per locutionem suam significare voluisse. 2.^a *Ad hunc sensum obvium et naturalem investigandum, singula verba, tum absolute et in se ipsis, tum relative et in ordine ad totum contextum, consideranda sunt.* Ratio evidens est; quia sensus verborum absolutus potest aliquam modificationem subire per conjunctionem illorum cum aliis, tota serie orationis id postulante. 3.^a *Cum agitur de aliqua sententia singillatim sumpta interpretanda, tunc ad sensum grammaticalem seu ex complexu verborum resultantem attendendum est.* Tunc enim naturalis et obvijs auctoris sensus non potest rationabiliter

alius cogitari, quam qui ex sola consideratione verborum illam sententiam exprimentium infertur. 4.^a *Cum vero, non de quadam particulari sententia, sed de multis inter se copulatis sermo est; tunc sensus philosophicus, qui ex tota serie antecedentium et consequentium sententiarum resultat, præ oculis habendus est.* Ratio est; quia supponere rationabiliter debemus auctorem sincere locutum fuisse; ac proinde sensum ex tota serie illarum sententiarum naturaliter resultantem exprimere voluisse.

128.—Sensus hic *philosophicus*, (qui etiam *sensus auctoris* dicitur, eo quod recte supponatur ab eo intentus), aliquando obscurus est, sive ob oscitationem auctoris, sive ob ejus culpam sive ob alias causas accidentales. Sed sive obscurus sit, sive clarus; modus illum detegendi ille est, quem nuper diximus. Scilicet ad illum investigandum tota contextura discursus consideranda est; ratioque habenda tum conditionis et indolis personæ loquentis aut scribentis; tum etiam idearum, quas ipsa generaliter profitetur aut alias sustentavit; tum temporis et loci, quibus sententias suas examini nostro subjectas protulit; tum denique finis, quem in illis proferendis sibi proposuit. Porro attenta harum omnium rerum consideratione, ordinarie loquendo, verum sensum auctoris sine ulla dubitatione assequemur.

129.—III. Tandem ad rectum vocabulorum usum, tam passivum, quam activum, non abs re erit quosdam sensus declarare; quos termini in oratione habere possunt. Et *primo* quidem terminus logicus sumi in oratione aliqua potest, tum *collective*, tum *distributive*. Sumitur *collective*; cum tribuitur pluribus rebus simul sumptis, v. gr. in hoc exemplo: *Apostoli erant duodecim*. Sumitur vero *distributive*; quando omnibus et singulis alicujus ideæ universalis inferioribus applicatur: ut cum dicimus: *Omnis homo est mortalis*. In hac enim sententia terminus *mortalis* de omnibus et singulis individuis humani generis asseri-

tur. Porro distributio termini alicujus potest esse *completa* vel *incompleta*. Erit completa; si sumatur *pro singulis individu*-*is generum* sub aliquo conceptu universali contentorum: ut; cum dicitur: *Omne animal est mortale*. Est vero incompleta quando sumitur *pro generibus singulorum individuorum*, ad quæ conceptus aliquis universalis se extendit; v. gr. in hoc exemplo: *Omne animal fuit in arca Noe*; per quod dicere intendimus *omnes species* animalium fuisse in ea inclusas.

130.—*Secundo*, terminus logicus sumi potest in sensu *stricto*, tum *lato*. Sumitur in sensu stricto; quando rebus sine ulla restrictione tribuitur: ut in hoc exemplo: *Omnes homines sunt fallibiles*. Sumitur in sensu lato; quando rebus cum aliqua restrictione, sive explicita sive implicita, illum applicamus; ut cum dicimus: *Omnis homo mendax*.

131.—*Tertio*, tandem sumi potest in sensu *specificativo* sive *materiali* et in sensu *reduplicativo* seu *formali*. Sumitur primo modo; quando alicui formæ tribuitur, non ratione ipsius formæ, sed subjecti illam possidentis (44). Sumitur vero secundo; quando tribuitur subjecto alicujus formæ ratione formæ ipsius et non propter aliquid aliud. Exemplo sensus materialis sint propositiones sequentes: *Philosophus dormit, sapiens currit*: ubi *dormitio* asseritur de philosopho et *cursus* de sapiente, non ratione philosophiæ aut sapientiæ, sed ratione subjectorum humanorum has res possidentium. Exemplo vero sensus formalis hæc sunt: *Homo virtuosus est beatus, verus sapiens prudenter agit*: ubi *beatitudo* dicitur de homine virtuoso ratione *virtutis*, quam habet; et similiter *prudencia in agendo* affirmatur de homine prudente ratione ipsius prudentiæ suæ.



CAPUT II.

De judicio.

132.—Apprehensio est prima operatio intellectus; primum enim, quod potest facere intellectus circa aliquod objectum, est illud apprehendere seu cognitione capere. Simplicem autem apprehensionem sequitur actus iudicii; per quem de re jam simpliciter apprehensa aliquid affirmamus aut negamus. Hinc jure merito iudicium *secunda intellectus humani operatio* communiter a philosophis vocatur; quia intellectus est, qui, post acceptam rei notitiam, iudicium suum circa illam pronuntiat. Porro de iudicio acturi eundem ordinem tenebimus, quem capite præcedente agendo de simplici apprehensione sequuti sumus. Unde prius de iudicio ipso, deinde vero de externa illius manifestatione distinctis articulis loquemur.

ARTICULUS PRIMUS.

De iudicio secundum se ipsum considerato.

133.—Quæ in hoc articulo dicturi sumus, in tres paragraphos partiemur: in quorum primo notionem iudicii dabimus, in secundo distinctas illius species enumerabimus, in tertio denique diversa iudicia inter se comparabimus.

§ I. QUÆNAM SIT JUDICII NOTIO.

134.—Judicare est *sententiam ferre in favorem illius, cui jus assistit*. Porro hujus rei conceptus a tribunalibus civilibus ad tribunal humanæ rationis non incongrue translatum est. Ratio enim, non secus ac iudex, objecta quævis suæ considerationi proposita ad invicem comparat ac de mutua eorum relatione pronuntiat. Relatio autem hæc aut consonantiæ aut oppositionis

necessario esse debet; nam, ut supra dictum est (52), conceptus nostri, ratione objectorum suorum, necessario aut *compatibiles* aut *incompatibiles* existunt. Hinc ratio, cum iudicium suum circa illam profert, aut actu suo asserit rationes formales objectorum ad invicem comparatorum compatibles existere, ac proinde eidem subjecto inesse; aut hanc compatibilitatem negat, et consequenter illas nonnisi in diversis subjectis inveniri posse affirmat. In primo casu iudicium elicit *affirmativum*: quo ait *subjectum cujusdam formæ esse simul subjectum alterius*; seu, ut loqui amant philosophi, *dari identitatem inter rectum subjecti et rectum prædicati*. In secundo vero iudicium *negativum* efformat; quo negat dari identitatem inter subjecta formarum ad invicem comparatarum. Sic, ut exemplis res illustretur, cum dicimus: *Homo est rationalis*, asserimus subjectum *humanitatis* esse quoque subjectum *rationalitatis*; seu unum, idemque esse subjectum harum duarum formarum. Cum vero dicimus: *Homo non est spiritus purus*; negamus *humanitatis* subjectum esse idem ac subjectum *puræ spiritualitatis*; ac consequenter asserimus has duas formas in duobus diversis subjectis existere debere.

135.—Hinc iudicium definire possumus: *Actum quo affirmamus aut negamus identitatem subjecti in ordine ad duas rationes formales inter se comparatas*. Quod si rem brevius exprimere velimus, dicemus iudicium esse *actum quo aliquam formam subjecto alicui tribuimus aut eam ab illo removemus*. Inter subjectum et formam seu prædicatum non datur, logice loquendo, relatio identitatis, sed potentiae et actus seu materiae et formæ. Nam formam concipimus tamquam actuationem quandam subjecti; ac proinde tamquam quid eo modo distinctum ab illo, quo forma distinguitur a materia et actus a potentia (44). Omnes certe dicere solent, et quidem merito, inter duo extrema iudicii, (quæ *subjectum* et *prædicatum* vocantur), cum iudicium affirmativum est, dari non tantum logicam sed etiam realem identitatem. Verum per hæc verba non aliam identitatem affirmare intendunt, nisi illam quæ habetur inter rectum subjecti et rectum prædicati; ut numero præcedente explicatum est. Idcirco formu-

la judiciorum affirmantium non est $A=A$, ut falso aliqui existimarunt; sed $A=B$, ut ex analysi proxime instituta manifeste constat. Unde Scholastici hac de re tractantes dicebant, in judiciis ejusmodi identitatem dari *inter rectum subjecti et rectum prædicati*: quo quidem significare volebant unum idemque subjectum duabus illis formis A et B substatere, quæ in extremis judicii affirmativi exprimuntur.

136.—Elementa judicii sunt sequentia: 1.^{um} *Perceptio subjecti*. 2.^{um} *Perceptio prædicati*. 3.^{um} *Comparatio prædicati cum subjecto*. 4.^{um} *Perceptio identitatis aut non identitatis inter utrumque*. 5.^{um} *Affirmatio vel negatio identitatis prædictæ*. Hos omnes actus in judicio quovis humanæ rationis reperiri, experientia quisque propria comprobare potest. An vero omnes realiter distinguantur inter se, quæstio est metaphysica; quæ in Psychologia ventilanda est.

137.—Actus afirmandi vel negandi identitatem memoratam diversis nominibus inter philosophos compellari solet, quæ nosse oportet. Et quidem *primo* vocatur *affirmatio* vel *negatio*; secundum quod illam affirmet vel neget. Deinde dicitur *compositio* vel *divisio*; quatenus intellectus, affirmando identitatem prædicati et subjecti, utrumque in unum componit; vel illam negando, unum ab altero dividit. Appellatur præterea *assensus* et *dissensus*; quia per illum mens conformitati prædicati cum subjecto assentit et a difformitate dissentit. Dicitur etiam *adhæsiō* et *dissensio* propter eandem rationem. Apellatur denique *annutus* vel *abnutus* mentis; quia intellectus per illum quasi capite annuit vel abnuit, identitatem prædictam affirmando vel negando.

Tandem judicium verbis expressum vocatur *propositio*: quæ quidem duobus elementis constat, *materia* nempe et *forma*. Porro materiam constituunt ambo illius extrema seu *subjectum* et *prædicatum*; formam vero *copula*, quæ relationem identitatis aut non-identitatis exprimit inter subjectum et prædicatum.

§ II. QUOMODO DIVIDANTUR JUDICIA.

138.—Ad rectam judiciorum classificationem oportet illa, non secus ac simplicem apprehensionem, sub duplici aspectu considerare; *subjective* nempe et *objective*. Primo modo *actiones quædam* sunt mentis affirmantis vel negantis: secundo vero *materiam quandam forma quadam informatam* exhibent, seu *extrema* ad invicem comparata et *relationem* oppositionis vel consonantiæ inter ipsa. Hinc tres existunt fontes, ex quibus judiciorum diversitas oriri potest; *actio judicativa* intellectus, *relatio* extremorum asserta, *ipsaque extrema*.

139.—I. *Ratione actionis ipsius judicativæ* judicia dividuntur in *vera* et *falsa*, *certa* et *dubia* *probabilia* et *improbabilia*, *prudentialia* et *imprudentialia*, *immediata* et *mediata*. 1.^o *Vera* sunt, quando per actionem prædictam asserit mens identitatem quæ realiter in extremis existit, vel negat illam quæ non existit: unde falsa erunt in casu contrario. 2.^o Sunt certa, quando per actionem hanc mens objecto cognito adhæret sine ulla dubitatione: et e contra erunt dubia, quando mens objecto quidem cognito adhæret, sed cum formidine oppositi. 3.^o Sunt probabilia quando mens identitatem subjecti et prædicati affirmat aut negat gravibus rationibus innixa, licet minime certis: sunt vero improbabilia, quando affirmatio aut negatio levibus tantum motivis fundatur. 4.^o Sunt prudentia, quando a voluntate fundata in rationibus gravibus imperantur; et imprudentia in casu contrario. 5.^o Sunt immediata, quando ex nullo anteriori judicio dependent, sed ex sola extremorum perceptione: et e contra erunt mediata seu discursiva, quando ex aliis judiciis procedunt. Exemplo judicii veri sit hoc: *Homo est mortalis*. Exemplo falsi sit sequens: *Homo caret libertate arbitrii*. Exemplo certi et incerti seu dubii hæc respective sunt: *Statutum est hominibus semel mori*; *stellæ cæli sunt pares*. Exemplo probabilis et improbabilis hæc duo sint:

Corpora inorganica intrinsece componuntur ex materia et forma; si centies talos jacias, eundem semper numerum reddent. Exemplo prudentis et imprudentis esse possunt hæc ipsa, quæ ultimo loco adduximus; cum hominis prudentis sit gravibus rationibus duci in operando, et e contra imprudentis levibus aut nullis. Denique exemplo immediati et mediati hæc sint: Totum est majus sua parte; Deus existit, qui omnia hæc sensibilia creavit et gubernat.

140.—II. *Ratione identitatis affirmatæ aut negatæ judicia dividuntur in affirmativa et negativa, absoluta et conditionata, analytica et synthetica.* 1.º Sunt affirmativa, quando relatio identitatis inter subjectum et prædicatum affirmatur existere, v. gr. sequens: *Homo est natura sua mortalis.* Et sunt negativa, quando hæc identitas negatur existere, ut in hoc: *Homo non est bellua.* 2.º Sunt absoluta, quando identitas prædicta affirmatur aut negatur sine ulla conditione, v. gr. hæc: *Concordia parvæ res crescunt; superbi vere felices esse nequeunt.* Hypothetica vero seu conditionata sunt illa, in quibus asseritur aut negatur identitas memorata sub aliqua conditione, ex. gr. sequens: *Si vis gaudere in hac vita, non poteris postea regnare cum Christo.* Porro illa pars judicii hypothetici, in qua exprimitur conditio, vocatur *conditio*; altera vero, in qua res asseritur aut negatur sub conditione, dicitur *conditionatum*. Sic in exemplo apposito conditio exprimitur per hæc verba: *Si vis gaudere in hac vita*; conditionatum vero per hæc alia: *Non poteris postea regnare cum Christo.* 3.º Sunt analytica, seu a priori et de materia necessaria, quando relatio identitatis aut non identitatis ad objecta metaphysica et ab individuantibus rerum conditionibus abstracta refertur, et ideo per meram analysim idearum detegitur, v. gr. sequens: *Circulus est rotundus.* Et e contra sunt synthetica, seu a posteriori et de materia contingente, quando relatio prædicta versatur

circa objecta physica, quæ sola experientia cognoscuntur; qualia sunt hæc: Corpora sunt gravia; Sol lucet; aqua madefacit, etc.

141.—III. *Ratione extremorum suorum* judicia dividuntur in *universalia, particularia, singularia, indefinita, simplicia et composita*. 1.^o *Judicium erit universale, particulare, vel singulare; secundum quod subiectum ejus fuerit universale, particulare, vel singulare* (50). *Exempla sunt: Omnes homines sunt mortales; aliqui peccatores mortem contemnunt; Petrus est fortis.* 2.^o *Judicium indefinitum est illud, quod nullum signum expressum sive universalitatis, sive particularitatis, sive singularitatis præ se fert*, v. gr. sequens: *Homines sunt mendaces*. Porro hæc judicia vere universalia sunt, sive universalitate *stricta* sive *lata*; quod quidem ex materia circa quam versantur dignosci debet. 3.^o *Denique simplex est, quando duobus tantum terminis constat*, ut hoc: *Plato erat philosophus*: est vero compositus, cum plures quam duos terminos habet, ut sequens: *Cicero et Demosthenes erant oratores*.

142.—Judicia composita rursus dividuntur in *aperte et occulte talia*. Primæ classis sunt: *conditionale, copulativum, disjunctivum et causale*; secundæ vero *modale, exclusivum, exceptivum, reduplicativum, et comparativum*. Unumquodque illorum breviter definiemus.

143.—Conditionale jam supra explicatum est (140). Copulativum est, *quod constat duobus vel pluribus judiciis particula, et vel alia simili inter se connexis*, v. gr. hæc: *Cicero et Hortensius erant oratores; homo virtuosus nec prosperitate extollitur, nec adversitate frangitur*. Disjunctivum est *illud, quod constat duobus judiciis incompatilibus particula aut vel alia simili ab invicem separatis* (52), v. gr. hoc: *Aut amas virtutem, aut vitia sequeris*. Causale est *illud, in quo et aliquid asseritur, et ratio talis assertionis affertur*, v. gr. se-

quens: *Es tristis, quia virtutem non curas*. Illa pars iudicii causalis, in qua ratio assertionis exprimitur, vocatur *causa*; illa vero, in qua ipsa assertio enuntiatur, dicitur *causatum*. Sic, in exemplo appposito, causatum continetur his verbis: *Es tristis*; causam autem exhibent verba sequentia: *Quia virtutem non curas*.

144.—Modalis exprimit modum, quo prædicatum aliquod subjecto convenit vel repugnat, v. gr. hoc: *Deus est necessario justus*. Quatuor autem species sub se continet: nam prædictus modus refertur ad *possibilitatem* vel ad *impossibilitatem*, ad *contingentiam* vel ad *necessitatem*; quæ sunt quatuor modi entis. Sic dicimus: *Possibile est Petrum esse bonum*; *impossibile est peccatorem esse felicem*; *contingens est hominem esse nigrum*; *necessarium est circulum esse rotundum*. Exclusivum tribuit prædicatum quoddam subjecto cum exclusione aliorum, ut in sequenti: *Sola salus animæ est homini necessaria*. Exceptivum excipit aliquid a participatione prædicati, ut in hoc: *Omnia sunt vanitas præter servire Deo*. Comparativum asserit prædicatum aliquod uni e subjectis magis vel minus convenire quam alteri, v. gr. sequens: *Nihil honorabilius sapientia*. Porro omnia hæc iudicia occulte composita in alia simpliciora resolvi possunt, atque hac de causa *exponebilia* dici solent. Exemplo sit hoc ultimum: *Sunt multæ res honorabiles, sed sapientia illas omnes hac in re superat*.

§ III. QUÆNAM SINT PROPRIETATES JUDICIORUM AD INVICEM COMPARATORUM.

145.—Si iudicia ad invicem comparemus; ea aut *æqualia* inter se inveniemus, aut *opposita*, aut unum in aliud *conversum*. Exinde resultant tres iudiciorum proprietates; *æquipollentia* nempe, *oppositio*, et *con-*


versio, quæ breviter in hoc paragrapho dilucidandæ sunt.

146.—*Equipollentia duorum judiciorum consistit in identitate significationis eorundem*, ut accidit in sequentibus: *Omnis homo est mortalis; omne animal rationale est mortale*. Logici tamen non de omnibus judiciis æquipollentibus agunt; sed de illis tantum, quæ, eodem subjecto et prædicato constant, unaque aut altera negatione differunt, quin tamen diversa significant: quia ea solum sunt apta ad arguendum per additionem vel ablationem particulæ *non*. Exemplo sint sequentia: *Omnis homo est mendax; nullus homo non est mendax*.

147.—*Oppositio consistit in diversitate vel pugna duorum judiciorum eosdem habentium terminos, sed vel quantitate, vel qualitate, vel quantitate simul et qualitate discrepantium*. Porro nomine quantitatis hic intelligitur illud, per quod aliquod iudicium (idem intellige de propositione [137], est universale, particulare, vel singulare. Qualitas vero est illud, per quod aliquod iudicium est affirmativum vel negativum.

148.—*Ratione oppositionis duo iudicia possunt esse vel subalterna, vel contraria, vel subcontraria, vel contradictoria inter se*. Erunt subalterna, si differant solum quantitate, v. gr. hæc: *Omnis homo est mortalis; aliquis homo est mortalis*. Ex his universale dicitur subalternans; particulare vero vocatur subalternatum. Erunt contraria, si differant solum qualitate et sint universalis, ut hæc: *Omnis homo est mortalis; nullus homo est mortalis*. Erunt subcontraria, cum differunt sola qualitate et sunt particularis, ut hæc: *Aliquis homo est mortalis; aliquis homo non est mortalis*. Erunt denique contradictoria, cum differunt quantitate simul et qualitate, ut hæc: *Nullus homo est mortalis; aliquis homo est mortalis*.

149.—Porro si litteris A, E, I, O designemus universale affirmativum, universale negativum, particulare affirmativum et particulare negativum; facile poterimus omnes oppositionis species sequente tabula depingere:



Ad facilius memoria retinendum singularum litterarum significationem poterunt inservire sequentes versus:

*Asserit A, negat E, verum generaliter ambo.
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.*

150.—Conversio judiciorum est actus, quo unum ex altero legitime inferimus sola terminorum transpositione. Est vero triplex: simplex nempe, per accidens et per contrapositionem. Prima fit, servata in utroque judicio eadem quantitate, ut in his: Nullus homo est bellua: ergo nulla bellua est homo. Secunda obtinetur mutando quantitatem judicii convertendi, v. gr.: Omnis homo est rationalis: ergo aliquis rationalis est homo. Tertia denique perficitur, sine mutatione quidem quantitatis, sed reddendo infinitos terminos judicii conversi in hunc modum: Omnis homo est substantia: ergo omnis non substantia est non-homo. Porro conversio, ut sit legitima, non quomodocumque efficienda est; sed quibusdam regulis subjici debet, quæ inferius sunt tradendæ.

ARTICULUS II.

De manifestatione externa iudicii.

151.—Iudicium, non secus ac ideæ, diversis signis externis manifestari potest. Porro ex his nos tantum verba considerabimus, quia per illa affectus et cogitationes nostras ordinarie manifestamus. Porro verbum aliquod vel complexus verborum, in quantum signa sunt sententiæ cujuslibet interius in animo latentis, *orationis* nomine donantur. Quod si collectio illa verborum ad exprimendum iudicium adhibeatur, quod circa rem aliquam efformamus; tunc nomen assumit *orationis enuntiativa*. Porro in hoc solo secundo sensu verba ad Logicam pertinent, quia sola oratio enuntiativa apta est ad enuntiandam veritatem. Sed quoniam oratio hæc *una* est ex pluribus, quæ per verba efformari queunt; idcirco, antequam de illa speciatim loquamur, aliquid de oratione dicere oportet. Hinc de oratione in genere ac de oratione enuntiativa distinctis paragraphis agendum.

§ I. QUID SIT ORATIO ET QUIBUS PARTIBUS CONSTET.

152.—Oratio est *illud verbum vel complexus verborum, quo sententiam quamcumque exprimimus*. Aliquoties oratio uno tantum verbo perficitur, ut in his: *Scribo: iexistis?* Alias duobus verbis constat, ut in his exemplis: *Ego curro; tu quiescis*, etc. Alias ex tribus vel etiam pluribus componitur, v. gr. cum dicimus: *Ego sum mortalis; tu amas virtutem; milites romani pro gloria fortiter pugnabant*, etc.

153.—Oratio potest esse *completa* vel *incompleta*. Est completa; cum sensum completum reddit, ut in hac: *Miles hostem vicit*. Est vero incompleta; *cum sensum relinquit suspensum et incompletum*, ut in sequentibus: *Si non plus laboras; quamvis hosti obviam eas*, etc. Hæ orationes incompletæ valde assimilantur terminis complexis, quales sunt v. gr. *homo doctus, minister diligens*,

dux fortis, etc.; differunt tamen ab illis in eo quod sunt aliquid pertinens ad integritatem sententiæ completæ.

154.—Oratio completa potest reddere sensum completum in ratione tum desiderii, tum interrogationis, tum deprecationis, tum imperii, tum simplicis enuntiationis. Hac de causa dividitur in *optativam*, *interrogativam*, *deprecativam*, *imperativam* et *enuntiativam*. Exempla sunt. Optat. *Utinam veniat*—Interr. *¿Venit?*—Deprec. *Fac, quæso, hanc rem.*—Imper. *Fac hoc.*—Enunt. *Hoc semper mihi gratum erit.*

155.—Inter has omnes orationis species sola enuntiativa est capax veritatis vel falsitatis: cæteræ namque directe et formaliter non exprimunt nisi actus voluntatis; qui quidem circa bonum, non autem circa verum versantur. «Quia igitur, inquit D. Thomas, istæ quatuor orationis species (*optativa* nempe, *deprecativa*, *interrogativa* et *imperativa*) non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum, sed quemdam ordinem ad hoc consequentem; inde est, quod in nulla earum invenitur verum vel falsum, sed solum in *enuntiativa*, quæ significat id quod de rebus concipitur (1).»

156.—Elementa orationis præcipua sunt *nomen* et *verbum*. Cætera enim, *adverbium præpositio*, etc., ut illorum *accidentia* aut *determinationes* haberi debent. Porro dicitur nomen *illa orationis pars, quæ declinatur per casus, et tempus minime significat*. Verbum vero est *illa altera orationis pars, quæ per tempora conjugatur et tempus significat*. Acriter inter grammaticos disputatur quinam sit character proprius et peculiaris uniuscujusque ex his duabus orationis partibus. Nobis autem videtur sufficienter illum esse significatum verbis, quibus illarum definitiones dedimus. Et re quidem vera, nomen in oratione nunc *nominativi*, nunc *genitivi*, nunc *dativi*, nunc *accusativi*, nunc *vocativi*, nunc denique *ablativi* locum tenet; in nullo autem illorum significat tempus aliquod *actuale*, quod

(1) S. Thom. in lib. I Perihermenias, lect. 7.

sive in præsenti, sive in præterito, sive in futuro *de facto* existat.

Sunt quidem nomina, quæ tempus denotant, ut *vespere mane, meridiæ*, etc.; sed tempus per illa expressum est pure possibile et ideale, ac proinde ex hac parte cum verbo confundi nequeunt. Porro verbum non modo conjugatur per modos et tempora, sed præterea in omnibus suis inflexionibus, quæ nominis casibus similes sunt, imbibitam gerit notionem temporis actualis, ut cuique rem attente consideranti patere potest. Sic, cum dicimus: *Ego amo; ego passus sum; tu currebas; diligite inimicos vestros*, etc., actionem quamdam, vel passionem vel aliquid ejusmodi significamus, quod tempore actuali et non mere possibili existit.

Infinitiva omnium verborum, atque indicativum verbi *Sum* ad indicandas essentielles objectorum relationes applicatum, videntur huic regulæ generali contraire. Sed infinitiva potius quam inter modos verborum inter pura nomina computanda sunt; cum *legere* ex. gr. pro eodem prorsus ac *lectio* sumi debeat: ac proinde ex illis nihil contra nostram sententiam deduci potest. Quod vero indicativum attinet verbi *Sum*, relationes prædictas non exhibet *nisi prout existentes aliquo tempore conditionate actuali*. In omni enim judicio ad ideas puras spectante hoc simpliciter asserimus, *rem aliquam, ad existendum in tempore, reali vel metaphorico, determinatis quibusdam conditionibus indigere*. Sic, cum dicimus *circulum esse rotundum*, nihil aliud significare intendimus, nisi circulos omnes in aliqua temporis determinati et concreti differentia existentes debere necessario esse rotundos. Proinde indicativum prædictum ab exprimendo uno vel altero modo ideam temporis concreti et actualis minime excluditur (1).

156.—Tam nomen quam verbum dividuntur in *substantiva* et *adjectiva*. Nomen substantivum est *illud quod conceptum quemdam absolutum exprimit*: adjectivum e contra *illud est, quod conceptum quemdam exhibet connotativum* (43). Sic *homo, ratio, lapis*, etc., nomina

(1) Cfr. Balmes *Grammatica general*, cap. XI, ubi late agitur de natura verbi.

sunt substantiva; *bonus* vero, *viridis*, *rotundus*, *prudens*, etc., sunt adjectiva. Verbum substantivum est verbum *Sum*, quando æquivalet verbo *existo*: tunc enim significat actum existendi, qui basis ac fundamentum est eorum omnium quæ quis agere, aut pati, aut quocumque modo habere potest (1). Reliqua autem verba omnia sunt adjectiva; quia semper indicant aliquid existentiae superadditum per modum sive actionis, sive passionis, sive alterius determinationis cujuscumque.

§ II. QUÆNAM SIT NATURA ORATIONIS ENUNTIATIVÆ.

157.—Oratio enuntiativa, quæ communi vocabulo *propositio* appellari solet, *illa* dicitur *qua aliquid de aliqua re affirmamus aut negamus*. Hæc definitio non omnino perfecta est; plus enim videtur rem in suas partes dividere quam eam explicare. Non ideo tamen rejicienda: quia per eam satis apte declaratur proprietas quædam rei definitæ characteristicæ; quod sufficit ad bonitatem definitionis. Et sane, in omnibus quidem speciebus orationis aliquid affirmamus vel negamus; in sola autem enuntiativa aliquid affirmamus vel negamus *de aliqua re*. In ceteris enim directe et formaliter solos actus voluntatis nostræ mente conceptos manifestamus; in enuntiativa autem iudicium quo de re aliqua aliquid pronuntiamus, exterius promimus. Proinde hac definitione contenti esse debemus nec aliam quærere oportet.

158.—Cum in oratione enuntiativa expressio perfecta habeatur iudicii interni, quo de rebus aliquid asserimus; inveniri in ea etiam debent omnia elementa iudicii constituentia, id est, *subjectum*, *predicatum* et *copula*. Porro subjectum orationis est,

(1) «El verbo *ser*, ait optime Balmes *loc. cit.* sect. V, n. 158, cuando significa la relacion del predicado con el sujeto, es únicamente copulativo.»

illud, de quo aliquid affirmamus vel negamus; prædicatum vero ipsa res affirmata vel negata; copula denique actio affirmandi vel negandi. In orationibus verbi *Sum* prædicatum et copula distinctis vocabulis exprimuntur (156), in aliis vero res e contra accidit. Sic, cum dico: *Petrus est prudens*; prædicatum *prudens* et copula *est* per distincta verba significantur. Cum vero ajo: *Ego amo virtutem, Petrus concionabatur, Julius Philosophiæ studio operam dedit*, etc.; prædicatum in ipsis verbis, quæ copulam repræsentant, implicitum continetur. Orationes enim prædictæ ita logice resolvi possunt: *Ego sum amans virtutem, Petrus erat concionans, Julius fuit Philosophiæ studio deditus*, etc. Et hoc est, quod Scholastici dicere volebant, cum omnia verba inquebant ad verbum *Sum* reduci posse: non enim verborum pluralitatem tollere, sed logicam illorum analysim tantummodo instituere ipsis in animo erat.

159.—Cum subjectum, prædicatum et copula uno vocabulo exprimuntur, oratio dicitur *primi adjacentis*: cum prædicatum et copula in verbo continentur, oratio vocatur *secundi adjacentis*: cum denique et subjectum, et prædicatum et verbum diversis vocabulis significantur, oratio est *tertii adjacentis*. Exemplo primæ sint hæ: *Scribo, canto, lego*. Exemplo secundæ sit sequens: *Ego scribo*. Exemplo denique tertiæ sit hæ: *Petrus est prudens*.

160.—Tandem propositio, seu oratio enuntiativa, eisdem divisionibus subicitur, quibus ipsa judicia. Unde quæcumque supra de classificatione judiciorum diximus, de ipsis etiam propositionibus intellecta volumus.

ARTICULUS II.

De mediis quibus judicia humana ad verum consequendum diriguntur.

161.—Judicia humana Logicæ regulis ad verum dirigi posse certo certius constat; cum experientia nobis quotidiana demonstrat intrinsicam eorum fallibilitatem. Verum quidem est, intellectum nostrum in judicando intrinseca libertate minime polere; ac proinde non posse in verum ea ipsa ratione dirigi, qua in bonum ordinatur voluntas. Sed, quoniam in exercitio suarem operationum arbitrio voluntatis subicitur; influxu illius ita gubernari potest, ut causas erroris vitet, ideas rerum claras et distinctas acquirendo. Porro quod in animantibus, plantis, fluminibus, omnique re potestati nostræ subjecta efficiamus, hoc etiam in nostro intellectu exercere valeamus; ut vim ejus naturalem influxu nostræ voluntatis dirigamus; et ad aberrationibus, quas secus aliquando per accidens pateretur, diligentia nostra liberemus. Manifestum igitur est intellectum nostrum in suis judiciis per voluntatem liberam ad verum dirigi posse. Porro directionem hanc eidem præbebis: 1.^o Si causas errorum nostrorum, ad illas vitandas, detegamus; 2.^o si regulas rectorum judiciorum, ad illas diligenter servandas, declaremus; 3.^o si sensum diversarum propositionum, ad verum tuto discernendum, indicemus. Hæc omnia tribus paragraphis sequentibus præstabimus.

§ I. QUÆNAM SINT ERRORUM NOSTRORUM CAUSÆ AC REMEDIA.

162.—Sicut veritas judiciorum nostrorum in conformitate ipsorum consistit cum re judicata, ita etiam falsitas in positiva difformitate. Causæ autem errorum præcipuæ sunt quinque, scilicet: *præcipitatio in judicando*, *pigrilia intellectualis*, *nimia reverentia erga magistros*, *præjudicia* et *animi passionones*. De his omnibus aliquid breviter dicendum.

163.—Et quidem ad præcipationem quod spectat, hæc *in inconsiderantia quadam animi sita est*; qua de rebus judicamus, antequam claras ac distinctas illarum ideas assequamur. Porro qui ita inconsiderate iudicat, facile in multos errores incidet, unum objectum ab alio non discernens ac rebus proprietates tribuens, quæ ipsis vere non conveniunt. Hoc igitur vitium maxime vitandum est: illud vero vitabimus, nihil temere iudicando de rebus et nihil aliud asserendo nisi quod sub idea clara et distincta nobis proponitur. Ideæ enim rerum claræ et distinctæ non possunt non esse illis conformes seu veræ.

164.—Pigritia intellectualis *in horrore quodam laboris illius consistit, qui in rebus difficilibus necessario assumi debet ad claras et distinctas earum ideas adquirendas*. Porro, si loco rem diligente cura investigandi ac profunda meditatione rimandi, statim de illa sententiam feramus; frequenter accidet, ut in errores maximos labamur, iudicium nostrum incognita causa pronuntiantes. Si igitur veras divitias intellectuales assequi volumus, labor nobis amandus est.

165.—Pariter reverentia nimia erga illos, quos tamquam sapientes suspicimus; seminarium non paucorum in nobis errorum esse potest; cum ipsi etiam intrinsece fallibiles existant et aliqua obscuritate laborare potuerint, aut quadam inconsiderantia in iudicando duci. Hinc jure merito illud pythagoreorum effatum carpi solet: *Magister dixit: ergo ita est*. Porro in hoc vitium incidere solent, qui erga auctorem quemvis, quantumvis sapientissimum, ita afficiuntur, ut omnes prorsus ejus sententias, sive parvi, sive maximi momenti sint, cæce et pecudum more sequuntur; quasi deus quidam foret, aut infallibilitate in iudicando a Deo donatus fuisset. Æquum sane est, ut sapientes maximo in pretio habeamus, et ab eorum sententiis nonnisi gravibus rationibus innixi recedamus, præsertim quando illorum sapientia ab omnibus hominibus agnoscitur; propter hoc enim dixit optime Aristoteles *oportere ut discipulus magistri prudentia fidat*. Sed fiducia hæc non debet esse talis, ut rationem nostram exuentes, cæce omnino et sine ulla

argumentorum ponderatione, quibus sententiās suas firmant, quidquid ipsi dicunt, mordicus teneamus.

166.—Præjudicia sunt *anticipatæ quædam opinionēs, fortiter animo impressæ, antequam de rebus claram et distinctam ideam concipiamus*. Porro opinioneseæ naturaliter nos impellunt ad habendum pro vero quidquid ipsis favet; pro falso autem, quidquid illis contrarium est. Unde, si veritate carent, ad multos errores nos inducant necesse est. Innumerabilia sunt hominum judicia, quæ suam ex illis existentiam recipiunt. Inter alia autem præeminent illa, quæ dicuntur *præjudicia educationis, nationis, antiquitatis, et novitatis*. Horum *prima* faciunt, ut homo difficile omnino et nonnisi magno cum labore derelinquat errores, quos pueritiæ et adolescentiæ tempore concepit: *secunda* impellunt ad magni faciendum quidquid ad suam nationem aut provinciam spectat; atque ad nihili habendum quidquid aliarum nationum aut provinciarum proprium est: *tertia* quosdam trahunt ad nihil admittendum, nisi quod apud antiquos creditum aut usitatum invenerint: *quarta* denique alios ita afficiunt, ut omnia antiqua vituperent, recentia autem, cujuscumque generis sint, laudent, magnificent atque ad cælum tollant.

167.—Contra hæc omnia præjudicia fortiter luctari debet, qui vere sapiens esse cupit et ab omnibus erroribus liberari. Vincat in nobis amor veritatis alium quemcumque amorem; et idola omnia sive *tribus*, sive *specus*, sive *fori*, sive *theatri*, ad quæ omnes notiones falsas reducit Baconus, facile destruemus. Omnis pueritia habet aliquid sanum et aliquid correctione dignum: omnis natio gaudet suis rebus gloriosis, suisque etiam defectibus deprimitur: omnis epoca scientia quarundam rerum viget et ignorantia aliarum quamplurimarum fædatur. Sic, ut exemplo aliquo utamur, antiqui scientias naturales ignorabant, quæ nunc temporis magno in pretio habentur; sed hodierni sapientes Philosophiam et Theologiam, duas scientias præcipuas, in quibus antiqui maxime floruerunt, miserandum in modum contemnunt. Quæramus animo sincero bona omnium temporum atque locorum, sive nova sint, sive antiqua, sive a vili,

sive a nobili persona aut populo proferantur; et ab hujusmodi præjudiciis immunes erimus.

168 —Denique passiones seu *pravi affectus animi* in productionem humanorum errorum maxime influunt. Cum enim pravus aliquis affectus cor hominis occupat; omnes ejus cogitationes in hoc dirigit, ut pro veris ac bonis habeat, quæ vera et bona esse cupit. Qui passione abripitur, icterico similis est, resque omnes pravi sui affectus colore depingit juxta illud: *Quod cupimus, facile credimus; quod nolumus, inficiamur*. Ut ergo occultissimas insidias hujus calidissimi hostis vitemus, magna cura in nosmetipsos invigilare debemus; ne passiones in nobis locum rationis unquam teneant. Atque inter alia hoc maxime satagere debemus, ut amorem veritatis præ omnibus in nobis foveamus, nullamque aggrediamur quæstionem nisi animo illam inveniendi atque inventam fortiter amplexandi, etiamsi ad hoc opus esset opinionibus nobis etiam charissimis valedicere.

§ II. QUÆNAM SINT REGULÆ AD RECTE JUDICANDUM IDONEÆ.

169.—Regulæ ad apte judicandum de rebus aliæ *proprie*, aliæ *communes* sunt. Proprie ad quamdam judiciorum classem spectant, communes vero omnibus prorsus judiciis conveniunt.

I. Porro, ut ab his ultimis initium sumamus, eas omnes ad duas sequentes reducere possumus: 1.^a *Præmunire nos adversus omnes errores debemus diligente observatione eorum, quæ in præcedente paragrapho dicta sunt*. 2.^a *Nullum unquam a nobis cum certitudine prædicatum subjecto tribuendum est aut negandum, nisi cum clare perspexerimus illud ei convenire aut repugnare*. Si hoc modo de rebus judicamus, raro aut nunquam in errorem aliquem prolabemur; evidentia enim duce, error impossibilis est.



170.—Aliquando tamen continget, ut post multam etiam meditationem videre cum claritate nequeamus, utrum prædicatum aliquod subjecto conveniat vel repugnet. Tunc vero hæc nobis regula generalis servanda est: *Cum clare ac perspicue non apparet relatio convenientiæ aut discrepantiæ inter subjectum et prædicatum; aut suspendendum prorsus iudicium est, aut non-nisi cum ea firmitate pronuntiandum, quam vis motivorum postulat ad illud impellentium.* Hunc modum tenentes, etiamsi evidentia in rebus aliquibus destituamur, errorem tuto fugiemus: quia errare omnino non potest, qui de re *probabiliter* affirmat aut negat, quod cum vera probabilitate de illa asserendum aut negandum esse sine ulla dubitatione perspicit (139).

171.—II. Ad recte iudicandum in iudiciis affirmativis et negativis sufficit attendere, tum ad *extensionem*, tum ad *comprehensionem* prædicati (67). Hinc: 1.^o *In iudiciis affirmativis prædicatum sumitur secundum totam suam comprehensionem et secundum partem suæ extensionis.* 2.^o *In iudiciis negativis e contra prædicatum sumitur secundum totam suam extensionem et secundum partem suæ comprehensionis.* 3.^o *Atque hinc fit, ut prædicatum iudicii affirmativi sit terminus quidam particularis; negativi vero terminus universalis.* Porro singulæ harum assertionum diligenter probandæ sunt; quoniam res est maximæ utilitatis in universa Logica.

172.—Et quidem ad *primam* quod spectat, cum dico ex. gr.: *Petrus est albus*; assero Petrum esse *unum* ex subjectis albedinis, illique convenire *omnes* prorsus notas albedinem constituentes. Ergo prædicatum *albus* sumo secundum *totam* suam comprehensionem et secundum *partem* suæ extensionis.

173.—Deinde quod attinet ad *secundam*, cum dico v. gr.: *Petrus non est metallum*; nego identitatem Petri cum *omnibus et singulis* metallis; eo quod, quamvis forte conveniat cum metallis in *aliquibus* proprietatibus, tamen deest ei *aliqua* ex proprietatibus metalli. Ergo prædicatum *metallum* sumo secundum

totam suam extensionem et secundum partem suæ comprehensionis.

Denique *tertia* evidens est, suppositis duabus prioribus. Nam terminus universalis est ille, qui de omnibus et singulis prædicatur; ac proinde sumitur secundum totam suam extensionem: particularis vero e contra ille est, qui de aliquibus tantummodo dicitur; ac propterea sumitur secundum partem suæ extensionis. Atqui prædicatum judicii affirmativi sumitur secundum partem suæ extensionis, negativi vero secundum illam totam, ut ex proxime dictis constat. Ergo in judiciis affirmativis est terminus particularis, in negativis vero universalis.

174.—Ex dictis facile videri potest modus, quo ad verum dirigi debent judicia tum affirmativa, tum negativa. Et re quidem vera, veritas judicii affirmativi in hoc consistit, ut subiectum sit *unum ex inferioribus prædicati*; eo quod illi conveniunt omnes notæ in hujus ratione contentæ. Ergo *ad hujus judicii falsitatem sufficiet, ut subiecto non conveniat* vel una ex notis prædicatum constituentibus. Pariter veritas judicii negativi in hoc sita est, ut subiectum sit *extra totam extensionem prædicati*; eo quod ei de est, aliqua ex hujus proprietatibus. Ergo *ad hujus judicii falsitatem necessarium erit, ut subiecto conveniant* omnes prorsus proprietates prædicati.

175.—III. Veritas judicii, tum probabilis, tum prudentis, in eo cernitur, ut *illo instanti, quo per voluntatem imperandum sit, rationes graves ex parte objecti assistant, judicii illius veritatem persuadentes*. Ergo, ad hoc ut judicia hujusmodi sint falsa, non sufficit ut postea videantur esse nullius valoris rationes, quibus voluntas mota est ad illa imperanda; sed necessarium est ut *nullæ rationes graves veritatem illorum suadeant in ipso momento, quo judicium imperatur*.

176.—IV. Veritas judicii conditionalis in hoc reponitur, ut realis connexio detur inter conditionem et condonatum (140). Proinde, quamvis veritatem in se

contineant judicia, quibus exprimuntur tam conditio quam conditionatum; tamen judicium conditionale falsum erit, si connexio inter ipsa non existat: et vice-versa, judicium hoc verum erit, quamvis judicia duo memorata erronea sint, dummodo realis connexio inter illa habeatur. Sic in hoc exemplo: *Si David fuit rex, fuit justus*, judicium conditionale est falsum; quia quamvis David fuerit et rex et justus, tamen inter regiam potestatem et justitiam non datur connexio necessaria. In hoc autem: *Si bruta loquuntur, ratione pollent*, judicium conditionale est verum; quia, quamvis falsum sit et bruta loqui et ratione pollere, tamen datur connexio necessaria inter loquelam et rationem.

177.—Idem prorsus dicendum est de judiciis causalibus: quorum veritas in hoc consistit, ut detur connexio causalitatis inter causam et causatum. Sic in hoc exemplo: *Homo est rationalis, quia est animal*, judicium causale est falsum: quia, quamvis verum sit hominem et esse rationalem est esse animal; tamen inter *animalitatem* et *rationalitatem* non datur connexio causalitatis; ac proinde homo non ideo præcise est rationalis, quia est animal; sed propter aliam rationem.

178.—V. Veritas judicii analytici in hoc reponitur, *ut prædicatum sit de ratione subjecti*; ita ut per illius analysim in hujus notitiam deveniamus. E contra veritas synthetici sita in eo est, *ut prædicatum non sit de ratione subjecti, sed connexio inter utrumque sola experientia constet*.

179.—VI. Veritas judiciorum universalium, particularium et singularium, cum affirmativa sunt, in hoc consistit, *ut omnes notæ prædicati conveniant omnibus et singulis individuis in subjecto contentis*: cum vero sunt negativa, in eo habetur; *ut omnia et singula individua subjecti sint extra totam extensionem prædicati* (172-173). Sic in hoc exemplo: *Omnes planetæ solares sunt opaci* non habebitur veritas, si *opacitas* non conveniat omnibus et singulis planetis prædictis sed aliquibus tantum.

180.—Circa iudicium singulare notandum est illud eatenus ad universale reduci posse, quatenus in utroque subjectum sumitur secundum *totam* suam extensionem. Sed, quoniam ad veritatem iudicii universalis requiritur, ut subjecti extensio sit *maxima*, et in iudicio singulari extensio est *minima*; solum per quandam analogiam iudicium hoc potest inter universalia recenseri.

181.—Iudicium indefinitum inter universalia repōni debet; ita tamen ut ad illius veritatem sufficiat universalitas *lata* et non *stricta*. Sic ad veritatem huius iudicii indefiniti; *Hispani sunt magnanimi* requiritur, ut *magnanimitas* saltem majori parti hispanorum conveniat. Aliquando quidem, *ratione materiæ*, est stricte universale; quia accedit, ut ejus prædicatum sit de ratione subjecti, v. gr. in hoc exemplo: *Homines sunt rationales*. Sed hoc minime requiritur ad ipsius veritatem *ratione formæ et quatenus indefinitum est*.

182.—VII. Circa iudicia aperte composita sequentes regulæ servandæ sunt.

1.^a *Ad veritatem copulativi requiritur, ut convenient vel repugnent subjecto omnia prædicata quæ de illo copulative affirmantur vel negantur*. Sic, ex. gr. hoc iudicium: *Petrus est doctus et fortis*, non erit verum; si Petro aut *doctrina*, aut *fortitudo* desit. Et in hoc alio: *Petrus non est fortis nec sapiens*, erit falsitas; si Petro aut *sapientia*, aut *fortitudo* conveniat.

2.^a *Ad veritatem disjunctivi requiritur: 1.º ut nulum medium sit inter prædicata, quæ de subjecto affirmantur disjunctive; 2.º ut hæc prædicata sint incompatibilia inter se* (52). Sic hoc iudicium: *Petrus aut sedet aut stat*, est falsum; quia inter *sedere* et *stare* dantur alia media, quale est ex. gr. *jacere*. Ratio *primi* est; quia in iudicio disjunctivo asserimus subjecto convenire *unum* ex prædicatis, quæ illi tribui possunt. Unde ad veritatem illius oportet, ut hæc omnia prædicata enumerentur, quin ullum deficiat. Ratio se-

cundi est; quia disjunctio non fit nisi inter opposita.

De conditionali et causali hic nihil dicendum; quia jam supra actum est (176-177).

183.—Occulte autem composita tunc erunt vera, cum vera sint singula judicia simplicia, in quæ resolvi possunt: secus erunt falsa. Sic est falsum hoc judicium: *Entia hujus mundi existunt necessario*. Quia, quamvis verum sit illa omnia existere; falsum tamen est existentiam eis necessario competere. E contra hoc est verum: *Solus Deus est ens a se*; quia *aseitas* Deo soli convenit.

184.—VIII. Circa judicia æquipollentia sequentes regulæ usui esse possunt.

1.^a *Ad obtinendum judicium æquivalens contradictorio alterius, sufficit præponere hujus subjecto particulam non*. Sic ex hoc judicio: *Omnis homo est mortalis*, præposita subjecto *omnis homo* particula *non*, resultat hoc aliud: *Non omnis homo est mortalis*; quod æquivalet huic: *Aliquis homo non est mortalis*. Ratio est; quia particula *non* est malignantis naturæ, ac proinde mutat naturam omnium quibus apponitur. Sed præposita subjecto judicii, apponitur toti judicio. Ergo necessario debet mutare ejus quantitatem et qualitatem; quod est reddere illius contradictorium (148).

2.^a *Ad obtinendum judicium æquivalens contrario alterius, sufficit postponere hujus subjecto particulam non*. Sic, ex hoc judicio: *Omnis homo est rationalis*; postposita subjecto particula *non*, resultat hoc aliud: *Omnis homo non est rationalis*; quod æquivalet huic: *Nullus homo est rationalis*. Ratio est; quia particula *non* postposita subjecto alicujus judicii relinquit intactam ejus quantitatem et solum mutat ejus qualitatem. Atqui duo judicia quæ solum differunt qualitate sunt contraria (148). Ergo postponendo subjecto particulam *non* obtinebimus judicium æquivalens contrario.

3.^a *Ad obtinendum judicium æquivalens subalterno alicujus, præponenda et postponenda est hujus subjecto particula non*. Sic, ex hoc judicio: *Nullus homo est spiritalis*, anteposita simul et postposita illius subjecto particula *non*, resultat hoc alterum:

Non nullus homo non est spiritualis; quod equivaleret huic: *Aliquis homo non est spiritualis*. Ratio est; quia præposita simul et postposita subjecto particula *non*, tantummodo mutatur quantitas judicii. Atqui duo judicia, quæ differunt sola quantitate, sunt subalterna (148). Ergo per præpositionem modo dicto cum postpositione conjunctam obtinetur judicium æquivalens subalterno.

Philosophi memoriæ causa has tres regulas sequente versiculo concluderunt:

Præ contradic; post contra; præ postque subalter.

185.—IX. Circa judicia inter se opposita sequentes regulæ dari solent.

1.^a *Duo judicia subalterna: 1.º Et ambo vera, et ambo falsa esse possunt; 2.º ex veritate subalternantis legitime infertur veritas subalternati; 3.º atque ex hujus falsitate falsitas illius.*

Ratio *primi* est: quia judicia subalternata in subalternantibus continentur sicut particulare in universali; ac proinde nulla difficultas est in eo quod et ambo vera et ambo falsa sint. Ratio vero *secundi* in eo est; quod judicium universale non potest esse verum, quin vera etiam sint omnia judicia particularia, quæ sub eo continentur. Ratio denique *terti* in hoc fundatur: quod si aliquod judicium particulare est falsum; a fortiori debet esse etiam falsum judicium universale ad eandem materiam spectans. Sic ex. gr., si falsum est *aliquem hominem esse cæruleum*; a fortiori erit falsum *omnes homines esse cæruleos*.

2.^a *Duo judicia contradictoria: 1.º Nec simul vera, nec simul falsa esse possunt: 2.º ex veritate aut falsitate unius legitime infertur falsitas aut veritas alterius.*

Ratio *primi* est; quia unumquodque non amplius affirmat aut negat, quam necesse est ad refellendum alterum; ac proinde ambo pugnant inter se sicut *affirmatio et negatio ejusdem de eodem sub eodem respectu* (54). Sic, si verum est *omnem hominem esse mortalem*;

necessario falsum esse debet *aliquem hominem non esse mortalem*, et vice versa. Ratio *secundi* sequitur evidentex ex prima parte hujus regulæ.

186.—3.^a *Duo judicia contraria*: 1.^o *Ambo possunt simul esse falsa*; 2.^o *non autem simul vera*; 3.^o *ex veritate unius inferri potest falsitas alterius*; 4.^o *sed non e converso*.

Ratio *primi* est; quia judicia hujusmodi maxime distant intra idem genus (54); ac proinde repræsentant duo extrema positiva, quæ possunt esse ambo vitiosa. Sic ambo hæc judicia sunt falsa: *Omnes homines sunt virtuosi*; *nullus homo est virtuosus*; quia inter duo hæc extrema datur hoc medium unice admittendum: *Aliquis homo est virtuosus et aliquis vitiosus*. Ratio *secundi* est: quia si unum ex illis est verum, ejus contradictorium debet esse falsum ex regula præcedente. Si autem ejus contradictorium est falsum, eadem falsitate laborabit etiam contrarium; quod plus opponitur quam contradictorium. Porro mathematicè etiam possumus id probare. Nam si A et E simul vera esse possent; etiam possent esse simul vera I et E ex nuper dictis de subalternis. Sed I et E simul vera esse nequeunt, quia sunt contradictoria. Ergo nec possunt esse simul vera A et E (149). Ratio *tertii* est: quia ambo simul vera esse nequeunt. Ratio denique *quarti* est: quia simul falsa esse queunt; ac proinde ex falsitate unius non potest legitime inferri veritas alterius.

187.—4.^a *Duo judicia subcontraria*: 1.^o *Non possunt esse simul falsa*; 2.^o *possunt autem esse simul vera*; 3.^o *unde ex falsitate unius legitime inferitur veritas alterius*; 4.^o *non tamen e converso*.

Ratio *primi* est: quia si falsum est prædicatum aliquod quibusdam convenire, verum erit illud eisdem non convenire; ac proinde unum e subcontrariis debet necessario esse verum. Sic, si falsum est *aliquos homines esse nigros*; verum erit *illos nigros non esse*.

Ratio *secundi* est: quia fieri potest, ut prædicatum aliquod accidentale quibusdam conveniat et aliis ejusdem speciei non conveniat. Hinc vera sunt hæc duo judicia subcontraria: *Aliqui homines sunt albi: aliqui homines non sunt albi*. Ratio *tertii* est: quia ambo simul falsa esse nequeunt. Ratio denique *quarti* est: quia ambo possunt esse simul vera; ac proinde ex veritate unius non sequitur falsitas alterius.

188.—X. Judicia conversa sequentibus regulis subjiciuntur.

1.^a *Universale affirmativum convertitur*: 1.^o *Per accidens*; 2.^o *per contrapositionem* (150). Ratio *primi* est: quia prædicatum judicii affirmativi est terminus particularis (171). Unde, quando per conversionem invertuntur termini, judicium prædictum debet fieri ex universali particulare in hunc modum: *Omnis homo est mortalis: ergo aliquid mortale est homo*. Ratio *secundi* est: quia cum subjectum judicii affirmativi contineatur *intra* sphæram seu extensionem prædicati (172), omne contentum *extra* sphæram hujus erit etiam *extra* sphæram illius: quod per terminos infinitos explicamus in hunc modum: *Omnis homo est rationalis: ergo omne non-rationale est non-homo*.

189.—2.^a *Universale negativum convertitur*: 1.^o *Simpliciter*; 2.^o *per accidens* (150).

Ratio *primi* est: quia prædicatum judicii negativi est terminus universalis (171, 3.^o). Unde quando per conversionem ex prædicato fit subjectum et ex subjecto prædicatum in judicio universali negativo; debet conservari eadem quantitas in hunc modum: *Nullus homo est bellua: ergo nulla bellua est homo*. Ratio *secundi* est: quia, si licet inferre judicium aliquod universale, etiam licebit inferre particulare sub eo contentum, juxta dicta de subalternis (185, 2.^o). Hinc optime concludimus in hunc modum: *Nullus homo est bellua: ergo aliqua bellua non est homo*.

190.—3.^a *Judicium particulare affirmativum convertitur simpliciter*.

Ratio est: quia prædicatum iudicii affirmativi est terminus particularis. Unde in conversione servanda est eadem quantitas in hunc modum: *Aliquis homo est rationalis: ergo aliquod rationale est homo.*

191.—4.^a *Judicium particulare negativum convertitur per contrapositionem.*

Ratio est: quia iudicium hoc hanc tantum conversionem admittit. *Non admittit aliam:* quia in duabus cæteris subjectum particulare converteretur in prædicatum universale (171, 2.^o), quod non licet. *Admittit vero hanc;* ut rem consideranti patebit. Sic bene converto dicendo: *Aliquis homo non est albus: ergo aliquis non albus non est non homo.* Quia hoc ultimum iudicium æquivalet his: *Aliquis non albus est homo, aliquis homo est non albus, aliquis homo non est albus.*

Porro memoræ juvandæ causa Scholastici regulas conversionis his duobus versibus incluserunt, in quibus litteræ A, E, I, O. diversa iudicia designant.

Simpliciter fEci, convertitur EvA per accid.;

Ast O per contra: sic fit conversio tota.

§ III. QUOTUPLICEM SENSUM HABERE POSSINT PROPOSITIONES.

192.—Propositiones, non secus ac termini, diversos sensus assumere possunt: hoc vero occasionem præbere intellectui audientis aut legentis potest ad iudicia erronea efformanda. Ut igitur hoc errandi periculum vitemus, hæc nobis præ oculis habenda sunt.

193.—*Primo* propositio sumitur in sensu *stricto, lato, colectivo, distributivo*, etc.; cum termini, quibus constat, his sensibus respective sumuntur (129).

194.—*Secundo* sumitur in sensu *materiali et formali*. In materiali quidem; cum termini non res alias quam se ipsos, prout voces quædam sunt, repræsentant; ut in hoc exemplo: *Mus est monosyllabum*. In sensu vero formali; cum termini, non se ipsos, sed res ab illis

distinctas significant; ut cum dicimus: *Mus est quoddam animal vertebratum*.

195.—*Tertio* sumitur in sensu *reali* et *logico*, qui etiam dicitur *formalis*. In *reali* sumitur; cum refertur ad res, prout sunt in se ipsis independenter ab omni cogitatione nostra; ut in hoc exemplo: *Justitia Dei est ejus misericordia*. Sumitur in sensu *logico*; cum refertur ad res, prout ab intellectu nostro cogitatas; v. gr. in hoc exemplo: *Justitia Dei non est ejus misericordia*.

196.—*Quarto* sumitur in sensu *litterali* et *allegorico*. In *litterali*, cum verba in propria sua significatione sumuntur; v. gr. in hoc exemplo: *Leo est fortior cæteris animalibus*. In *allegorico*, cum verba sumuntur in significatione translata; ut cum dicimus: *Vicit Leo de tribu Juda*.

197.—*Quinto* denique sumitur in sensu *composito* et *diviso*. In sensu *composito* quidem; quando exprimit simultaneitatem duorum actuum, vel duarum perfectionum, vel duorum statuum in eodem subjecto; v. gr. in hoc exemplo: *Petrus potest deambulare et legere*: in quo dicimus Petrum habere vim ad conjungendum in se ipso statum *deambulationis* cum statu *lectionis*. In sensu vero *diviso*, cum exprimit simultaneitatem cujusdam actus et potentiæ ad eliciendum alium; ut in hoc exemplo: *Dormiens potest vigilare*: per quod significamus, illum qui habet in se actum dormiendi, habere simul potentiam ad vigilandum post somnum; ita ut actus dormiendi et potentia vigilandi simul sint in eodem subjecto: ast potentia hæc non est ad conjungendum actum vigilandi cum actu dormiendi, sed ad ponendum actum vigilandi abeunte actu somni.

CAPUT III.

De ratiocinio.

198.—Sicut simplicem apprehensionem sequitur iudicium, sic post iudicium venit ratiocinium. Comparatione namque facta inter diversa objecta jam cogitata, nova in intellectu nostro iudicia oriuntur ex præcedentibus progenerita; quod est ratiocinari seu *ex una ratione ad aliam procedere*. Hinc jure optimo ratiocinium *tertia mentis operatio* a philosophis vocatur. Nam ratiocinium iudicium quidem est, sed *speciale et sui generis*, seu *ex aliis derivatum*; sicut etiam iudicium idea quædam et cognitio est, sed specialis et ex aliis progenita.

199.—Ratiocinium est præcipua intellectus nostri operatio: ad illud enim ordinantur tum simplex apprehensio, tum etiam iudicium sicut ad proprium finem; cum scientia in nobis non aliter generetur, quam per ratiocinium, seu ex una cognitione in aliam procedendo. Idcirco hæc tertia Dialecticæ pars speciali a nobis cura tractanda est; in eaque agendum: 1.º de natura ratiocinii; 2.º de classificatione ratiociniorum; 3.º de ratiocinii legibus; 4.º de ejus manifestatione externa; 5.º de figuris et modis syllogismorum; 6.º denique de argumentationibus vitiosis; quod quidem totidem articulis perficiemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura ratiocinii.

200.—Ratiocinium definiri solet: *Ea mentis operatio, qua unum iudicium ex aliis inferimus*. Porro mens nostra, comparationem inter duos conceptus instituens, aut statim videt relationem conformitatis aut discrepantiæ, quæ inter illos intercedit, aut secus. Si *primum*: iudicium *immediatum* effor-

mat: quod ex sola idearum comparatione, absque ullo iudicio prævio, in animo resultat. Si *secundum*; ad tertium conceptum recurrit, quo tamquam *medio* utitur ad comparanda inter se duo illa *extrema*, quorum relationem non percipit. Tunc vero: 1.^o Si videt utrumque extremum habere relationem conformitatis cum medio assumpto; illico affirmat ipsa extrema convenire etiam inter se, juxta illud principium: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. 2.^o Si videt unum ex extremis convenire cum tertio et alterum ab eo discrepare; statim concludit extrema illa discrepare etiam inter se, juxta illud alterum principium: *Quæ distinguuntur in uno tertio, distinguuntur etiam inter se*. 3.^o Denique, si nec conformitatem extremorum in medio assumpto percipit nec etiam discrepantiam; tunc ad alia media quærenda se convertit; donec aliquod inveniat in quo duo prædicta extrema conveniant, aut discrepent; aut tandem ab investigatione desistit.

201.—Ex hac ratiocinii analysi constat ratiocinium iudicium quoddam esse, quo identitatem aut non-identitatem duorum conceptuum affirmamus ex percepta eorundem identitate aut discrepantia in alio tertio, quem tamquam *mensuram* aut *medium comparationis* assumpsimus. In hoc ergo iudicio duo alia implicite continentur, ex quibus ipsum dependet et a quibus suam propriam existentiam accipit. Nam eatenus affirmamus identitatem duorum conceptuum, qui *extrema* vocantur, quatenus supponimus unumquemque illorum fuisse comparatum cum medio et identicum inventum; quod nonnisi per duo iudicia distincta obtineri quit. Atque eodem modo discurrere oportet, loquendo de ratiocinio negativo. Hinc tria hæc iudicia ratiocinium constituere dicuntur.

202.—Iudicia illa duo prævia, in quibus ratiocinium seu actus inferendi fundatur, *præmissæ* vocantur; ipsum vero ratiocinium seu *actus*, quo ex *præmissis aliquid inferimus*, dicitur *conclusio*. Deinde, ex præmissis illa vocatur *major*, in qua invenitur *extremum majus*; illa vero appellatur *minor*, in qua est *extremum minus*. Quodnam autem ex extremis dicendum sit *majus* vel *minus*, cognoscitur ex loco quem unum-

quodque illorum tenet in conclusione. In hac enim inveniri debet utrumque extremum, unum tamquam subjectum orationis et alterum tamquam prædicatum. Quod ergo in conclusione subjecti locum teneat, erit extremum minus; quod vero prædicati, erit extremum majus. In oratione namque subjectum subjicitur prædicato tamquam *unum* ex suis inferioribus; ac proinde *minus extremum* appellari debet. Præterea, ambæ præmissæ simul sumptæ *antecedentis* nomen accipiunt; conclusio vero, prout antecedenti contrapositione atque ex illo emanans, *consequens* dici solet. Denique nexus ille, qui necessario adesse debet, ut consequens ex antecedente legitime inferatur, dicitur *consequentia*: quæ proinde non est aliud nisi ipsum consequens, *prout ex antecedente legitime illatum*, seu *dependentia illa logica quam debet habere consequens ab antecedente, tamquam a propria sua causa, ut legitime fluere ex illo dicatur*.

203.—Antecedens et consequens constituunt *materialiam* ratiocinii; nexus vero inter utrumque, seu consequentia, constituit ejus *formam*. Proinde materia ex qua componitur ratiocinium, sunt tria judicia quibus constat. Sed quoniam hæc ipsa judicia, quatenus judicia sunt, suam etiam materiam habent, *terminos* nempe qui in unoquoque inveniuntur (137); hinc dicendum est judicia prædicta esse materiam *proximam* ratiocinii, terminos vero horum judiciorum materiam ejusdem *remotam*.

204.—Porro hi termini non sunt nisi tres: *extremum* nempe *majus*, quod in præmissa majori comparatur cum medio et in conclusione cum extremo minori; *extremum minus*, quod in præmissa minori comparatur cum medio et in conclusione cum extremo majori; denique *medium*, quod in præmissis comparatur cum extremis, tum majori, tum minori. Sic in hoc ratiocinio: *Homo est rationalis: Petrus est homo: ergo Petrus est ratio-*

nalis, non sunt nisi termini *homo*, *rationalis* et *Petrus*; quorum unusquisque *bis* sumitur, ut sumi debet.

205.—Principia generalia, quibus legitimitas cuiuscumque ratiocinii fundatur, ut ex supra dictis constat (200), sunt duo, scilicet: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; *Quæ distinguuntur in uno tertio, distinguuntur inter se*. Horum primum inservit ad ratiocinia affirmativa, in quibus conclusio est affirmativa; alterum vero inservit ad negativa, in quibus conclusio est negativa. Idcirco primum dicitur *Principium identitatis*; secundum autem *Principium contradictionis*, quod potius hac altera forma exprimi solet: *Nihil potest simul esse et non esse*.

ARTICULUS II.

De diversis ratiociniorum speciebus.

206.—Ratiocinia dividi possunt: 1.^o ratione *modi*, quo *consequens ex antecedente inferitur*; 2.^o ratione *materiæ*, qua *proxime constat*; 3.^o ratione *modi*, quo *præmissæ in ratiocinio continentur*.

1.^o *Ratione modi*, quo *consequens ex antecedente inferitur*, ratiocinium dividitur in *deductivum* seu *syntheticum* et *inductivum* seu *analyticum*. Primum, quod etiam *deductio* dicitur, est illud, quo ex *universali particularia inferimus*; v. gr. sequens: *Omnes homines sunt mortales: atqui Petrus est homo: ergo Petrus est mortalis*. Secundum, quod *inductio* etiam nuncupatur, est illud, quo ex *enumeratione aliquorum singularium universale inferimus*, sub quo illa continentur; quale est hoc: *Hoc et aliud quodcumque corpus examini hominum subjectum invenitur grave: ergo omnia prorsus corpora etiam examini non subjecta hac qualitate donantur*.

In deductione descendimus ex universali ad particularia; in inductione autem ascendimus ex particularibus ad universale. Hinc deductio etiam dicitur esse *illud genus ratiocinii, quo ex universalioribus ad minus universalia descendimus*; inductio vero *illud ratiocinium, quo ex particularibus ad universale et ex minus universalibus ad magis universalia ascendimus, sive in ordine idearum discurramus, sive in ordine factorum.*

207.—2.^o *Ratione materiæ proximæ* ratiocinium dividitur in *simplex* et *compositum*. Simplex solis iudiciis simplicibus constat, compositum aliquo saltem composito. Hujus secundi generis præcipua sunt *conditionale, copulativum* et *disjunctivum*. Porro conditionale illud est, *in quo aliqua ex præmissis est conditionalis*; ut hoc: *Si Petrus currit, movetur: atqui currit: ergo movetur*. Copulativum est illud, *in quo aliqua ex præmissis est copulativa*, ut hoc: *Nemo potest indulgere passionibus et habere animi lætitiā: atqui tu indulges passionibus: ergo animi lætitiā non habes*. Disjunctivum denique illud est, *in quo una ex præmissis est disjunctiva*; v. gr. sequens: *Vel restituis aliena, vel damnaberis; atqui non vis restituere aliena: ergo damnaberis.*

208.—3.^o *Ratione modi, quo præmissæ sunt in ratiocinio*, dividitur hoc in *sylogisticum, enthymematicum, epicherematicum, dilemmaticum* et *soriticum*. Syllogisticum, seu *sylogismus*, est *illud ratiocinii genus, in quo ambæ præmissæ clare et nitide enuntiantur*; v. gr. sequens: *Superbi felices esse nequeunt: atqui Petrus est superbus: ergo felix esse nequit*. Enthymematicum, seu *enthymema*, est illud, *in quo una ex præmissis tantum explicite enuntiatur*; ut in hoc exemplo: *Non restituis: ergo damnaberis*. Epicherematicum, seu *epichere-
rema*, est illud, *in quo alteri vel utrique præmissæ sua ratio adjungitur*; v. gr. hoc: *Vitiosus nequit pace inter-
na gaudere, quia vitium pugnat ex se cum natura ho-*

minis rationali. Atqui Franciscus est vitiosus, ut ex pravis ejus operibus constat. Ergo pace interna frui nequit. Dilemmaticum, seu *dilemma*, dicitur illud, *cujus antecedens est quoddam judicium disjunctivum, duobus membris constans, ex quibus aliquid contra adversarium infertur.* Tale est illud famosum Tertulliani adversus Trajanum: *Negat (christianos) inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes. Parcit et sævit, dissimulat et animadvertit. Cur temetipsum censura circumvenis? Si damnas, cur non et inquiris? Si non inquiris, cur non et absolvis?* (1). Si antecedens constet tribus membris, vel quatuor, etc.; ratiocinium vocari debebit trilemmaticum, seu *trilemma*, quadrilemmaticum, seu *quadrilemma*, etc. Soriticum, seu *sorites*, est quædam judiciorum coacervatio ita disposita, ut prædicatum primi sit subjectum secundi, et sic successive, donec tandem in conclusione jungatur subjectum primi cum prædicato ultimi. Exemplo sit sequens: *Avarus multa desiderat. Qui multa desiderat, multis eget. Qui multis eget, non est beatus. Ergo avarus non est beatus.*

209. — His ratiocinii formis addendum quis fortasse existimet syllogismum *expositorium*. Sed ratiocinium hoc non est nisi syllogismus quidam, in quo terminus medius est singularis ac proinde solum reductive et analogice universalis (180): proinde a ratiocinio syllogistico illum non distinguimus. Exemplo sit sequens: *Qui Christum prodidit, laqueo se suspendit. Sed proditor Christi fuit Judas. Ego Judas laqueo se suspendit.*

(1) Tertull., *Apologet.* cap. 2.

ARTICULUS III.

De regulis quibus ratiocinium ad verum dirigitur.

210.—Ratiocinium Logicæ regulis indigere ut ad verum dirigatur, res in comperto est. Mens enim nostra non minus in ratiocinando quam in judicando specie veritatis decipi potest. Error autem in illud irrepere valet, tum ratione materiæ, tum ratione formæ. *Primum* habetur, quando aliqua ex præmissis falsa est, erroremque suum in conclusionem transmittit: *secundum* vero, quando deest consequentia, seu consequens ex antecedente minime fluit. Porro defectus ad materiam spectans depelli debet regulis ad recte judicandum præcedente capite designatis; proinde hic de illis tantum nobis agendum est, quæ rectam ratiocinii formam respiciunt. Hæ vero regulæ partim ad ratiocinium generatim sumptum, partim ad ratiocinia particularia referuntur: unde de regulis ratiociniorum, tum generalibus, tum specialibus, distinctis paragraphis dicere oportet.

§ I. QUENAM SINT REGULÆ GENERALES RATIOCINIORUM.

211.—Quoniam principia fundamentalia omnium ratiociniorum sunt duo supra memorata (205), ad recte in quavis quæstione ratiocinandum hæc sola de se generalis regula sufficit: *Comparentur duo extrema cum medio; et videatur utrum ambo cum illo conveniant, vel unum tantum. Si primum accidat, affirma extrema inter se convenire: si vero secundum, dic illa inter se discrepare.*

212.—Verum regula hæc, quamvis bona in se sit, tamen Philosophiæ tyronibus minime sufficit; ac proinde in eorum gratiam aliæ a nobis tradendæ sunt ad ipsorum captum magis accommodatæ. Porro quæ in hunc finem inservire queunt, his versibus continentur;

- 1.^a Terminus esto triplex: major, mediusque minorque.
- 2.^a Latius hos, quam præmissæ, conclusio non vult.
- 3.^a Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
- 4.^a Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
- 5.^a Utraque si præmissæ neget, nil inde sequetur.
- 6.^a Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.
- 7.^a Pejorem sequitur semper conclusio partem.
- 8.^a Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.

Ut vero melius intelligantur, singulæ breviter sunt explicandæ et probandæ.

213.—Prima significat *in ratiocinio quovis non debere esse nisi tres terminos*. Ratio autem est manifesta: nam in omni ratiocinio asserimus duo extrema convenire vel discrepare inter se, quia conveniunt aut discrepant in uno medio. Ergo in omni ratiocinio debent inveniri tres et tres tantum termini; duo nempe extrema, quorum unum est majus et alterum minus (202), et terminus medius. Hinc, si in ratiocinio terminus aliquis duplici sensu sumatur, contra hanc regulam peccabitur; quia terminus duplici sensu sumptus æquivalet duobus. Hujusmodi est sequens: *Religio catholica omnes virtutes colit: atqui tolerantia est virtus; ergo Religio catholica tolerans est*. Hic enim *tolerantia* duplici sensu sumitur, altero bono et altero malo.

214.—Secunda hoc vult; *nullum terminum latius patere debere in conclusione quam in præmissis*. Ratio est: quia secus illud, in quo pateret latius, jam esset novus terminus; et sic darentur in ratiocinio quatuor termini contra regulam præcedentem. Sic contra hanc regulam peccat hic syllogismus: *Omne corpus est substantia. Atqui nullus spiritus est corpus. Ergo nullus spiritus est substantia*. Nam *substantia* in conclusione est terminus universalis, in præmissis vero particularis (171).

215. Tertia dicit *terminum medium non debere inveniri in conclusione*. Ratio est; quia terminus medius ibi tantum debet esse, ubi comparantur cum ipso extrema. Sed extrema non comparantur cum medio nisi in præmissis: quia in conclusione comparantur inter se. Ergo in præmissis tantum debet inveniri terminus medius. Sic male argueret quis hoc instituens ratiocinium: *Omnis homo est rationalis: Petrus est rationalis: ergo aliquis rationalis est homo*. In eo enim *rationalis*, qui est terminus medius, ponitur tamquam subjectum conclusionis.

216.—Quarta monet *terminum medium saltem in una ex præmissis debere esse generalem*. Ratio est; quia si in utraque sumeretur particulariter, posset habere duos sensus: unde resultarent quatuor termini contra primam regulam. Sic mala est hæc ratiocinatio: *Aliquis miles est fortis: aliquis miles est ignavus: ergo aliquis fortis est ignavus*. Contra hanc regulam minime peccat syllogismus expositivus: in eo enim terminus medius est singularis; ac proinde reductive universalis, ut supra dictum est (180).

217.—Quinta docet *ex duabus præmissis negativis nihil legitime inferri posse*. Ratio est; quia quando utraque præmissa negat, terminus medius non identificatur cum ullo ex extremis; ac proinde non videtur utrum extrema identificentur aut distinguantur inter se. Sic male quis ratiocinaretur dicendo: *Nullus homo est metallum: nullum metallum est spiritus: ergo nullus homo est spiritus*; quia ex eo quod nec homo nec spiritus identificentur cum metallo, non sequitur quod identificentur aut non identificentur inter se.

218.—Sexta tradit *ex duabus præmissis affirmativis non posse inferri conclusionem negativam*. Ratio est; quia quando ambæ præmissæ sunt affirmativæ, terminus medius identificatur cum utroque ex extremis: ergo hæc extrema debent identificari inter se juxta

principium identitatis, ac proinde debent constituere conclusionem affirmativam. Sic male quis ratiocinaretur inquis: *Omnis homo est mendax: Petrus est homo: ergo Petrus non est mendax*, cum debeat concludere sic: *Ergo Petrus est mendax*.

219.—Septima dicit *conclusionem esse negativam, quando una ex præmissis est negativa; particularem vero, quando una ex præmissis est particularis*.

Ratio *primi* est; quia, quando una ex præmissis est negativa et altera affirmativa, tunc terminus medius identificatur cum uno ex extremis et cum altero non. Ergo extrema debent distingui inter se; quod facit conclusionem negativam.

Ratio *secundi* satis complexa est atque ita evolvitur. Fieri potest ut ambæ præmissæ, sint affirmativæ, vel una tantum. Si ambæ sunt affirmativæ; non potest esse in illis nisi unus terminus universalis (171). Hic autem debet esse terminus medius ex regula quarta (216), qui non potest ingredi in conclusionem ex regula tertia (215). Ergo conclusioni nullus remanet terminus universalis, ac proinde conclusio debet esse particularis. Si autem una tantum est affirmativa; poterunt quidem esse in præmissis duo termini universales, prædicatum nempe præmissæ negativæ et subjectum universalis. Sed ex his unus erit terminus medius, qui non potest ingredi in conclusionem; et alter debebit esse prædicatum conclusionis, quia conclusio erit negativa ex proxime dictis. Ergo subjectum conclusionis non poterit esse terminus universalis, ac proinde conclusio debebit esse etiam tunc particularis.

220.—Octava inquit *ex duabus præmissis particularibus nihil legitime inferri posse*. Ratio est; quia hæ præmissæ vel ambæ sunt affirmativæ, vel una tantum. Si *primum*; nullus erit in eis terminus universalis contra quartam regulam (216). Si *secundum*; non

erit in eis alius terminus universalis nisi terminus medius; qui non potest ingredi in conclusionem. Atqui conclusio tunc, ut sit legitima, debet esse negativa; ac proinde prædicatum ejus debet esse terminus universalis: quod esse non potest, quia nullus est in præmissis terminus universalis præter medium. Ergo nihil poterit legitime concludi.

§ II. QUÆNAM SINT REGULÆ SPECIALES RATIOCINIORUM.

221.—Leges speciales ratiociniorum spectant *inductionem*, ac *syllogismos*, tum *compositos*, tum *crypticos* seu *occultos*. De singulis ergo nunc speciatim agendum est.

222.—I. Atque imprimis, ut *inductio* sit legitima, requiritur; *ut in præmissis enumeratio fiat formaliter vel virtualiter completa omnium individuorum, quæ collectim in conclusione sumuntur*. Alias enim conclusio latius patebit quam præmissæ; ac proinde non legitime procedet. Porro enumeratio erit *formaliter completa*; quando singillatim enumerantur omnia prorsus individua conclusionem ingredientia; ut in hoc exemplo: *Planeta A, B, C, D, etc., quæ circum Solem aguntur, sunt opaci. Ergo omnes planetæ solares sunt opaci*. Erit vero *virtualiter completa*; quando numerus individuorum observationi aut experientiæ nostræ subjectorum est talis, ut, propter circumstantias externas in quibus unumquodque illorum invenitur, phænomenum aliquod illis omnibus commune non possit rationabiliter alii causæ tribui nisi naturæ ipsorum specificæ. Sic ex. gr., si post multiplicata in multis liquidis experimenta invenimus ipsa semper et ubique componi ad libellam; legitime concludimus hoc phænomenum non ex causis aliquibus accidentalibus, sed ex natura ipsa liquidis omnibus com-

muni originem trahere; ac proinde omnia liquida, etiam non observata, hac lege gubernari.

223.—Exinde perspicui potest, inductionem a deductione substantialiter distinctam non esse, sed utramque inter veros syllogismos esse reponendam. Nam ut in enumeratione formaliter completa legitimus processus fiat, hoc modo concludere oportet: *Quod unicuique parti alicujus collectionis convenit, pari ratione convenit toti collectioni. Sed hæc qualitas v. gr. opacitas, convenit singulis planetis circum Solem actis. Ergo tota collectio planetarum solarium est opaca.* Pariter, ut legitime arguamus in enumeratione virtualiter completa, hoc modo procedere debemus: *Natura rerum, in eisdem circumstantiis posita, semper producit eosdem effectus. Atqui phænomenum A in his et illis entibus productum provenit ab interna eorum natura. Ergo quotiescumque hæc entia et alia quævis ejusdem speciei in prædictis circumstantiis inveniuntur, semper producent phænomenum memoratum.*

224.—Differentia inter inductionem et deductionem in eo tantum sita est, quod in prima terminus medius est idem conceptus sub duabus distinctis formis expressus; in secunda vero res e contra accidit. Hac de causa dixit Aristoteles nos inductione uti ad demonstrandas illas res, quæ medio demonstrationis carent; deductionem vero tunc a nobis adhiberi, cum verum medium demonstrationis datur. Quod idem est ac dicere inductionem et deductionem, non formæ, sed materiæ ratione inter se differre (1). Neque vero aliud quid evenire potest. Inductio enim verum ratiocinium est: ad essentiam autem ratiocinii pertinet,

(1) «Syllogismus autem hujusmodi, scribit de inductione disputans, primæ et immediatæ propositionis est: quarum enim medium est, hæ per medium; quarum vero non est, per inductionem colliguntur. Et quodammodo opponitur syllogismo inductio: nam hic quidem per medium, extremum de tertio; illa autem per tertium, extremum de medio ostendit. (Aristot., *Resolutionum priorum*, lib. 2, cap. 23).»

ut sit verus syllogismus; quoniam in omni ratiocinio affirmatur aut negatur identitas duorum extremorum inter se, quia identificantur aut distinguuntur in uno tertio; quod est verum syllogismum efformare.

225.—II. Quod ad syllogismos compositos spectat, jam supra notatum est tres præcipue esse numerandos; *conditionalem* scilicet, *copulativum* et *disjunctivum* (207). Porro regulæ conditionalis sunt sequentes:

1.^a *Affirmata conditione in præmissis, affirmandum est conditionatum in conclusione; affirmatio autem conditionati non præbet jus ad affirmandam conditionem.*

Ratio *primi* est; quia in majore affirmamus conditionatum sub hypothesis quod sit vera ejus conditio: in minore autem asserimus hanc conditionem esse veram: ergo in conclusione debemus affirmare conditionatum. Sic recte concludes: *Si cogito, sum: atqui cogito: ergo sum.*

Ratio *secundi* est; quia conditionatum potest dependere ex diversis conditionibus; ac proinde ex eo quod sit verum, non sequitur quod ejus veritas dependeat a tali præcise conditione. Sic male concludes: *Si cogito, existo: atqui existo: ergo cogito.* Nampossum existere, quin cogitem.

226.—2.^a *Negato conditionato, neganda est conditio: sed negatio conditionis non confert jus ad negandum etiam conditionatum.*

Ratio *primi* est; quia alias posset affirmari conditio, quin affirmaretur conditionatum; quod falsum esse constat ex prima regula. Sic male argues: *Si Sol lucet, dies est: atqui dies non est: ergo lucet;* sed argui debet hoc modo: *Atqui dies non est: ergo non lucet.*

Ratio *secundi* est; quia conditionatum fortasse erit verum sub alia conditione. Hinc male concludes sic: *Si virtutem diligo, existo: atqui virtutem non diligo:*

ergo non existo. Nam possum existere sub conditione alia, diligendi vitium ex. gr., dormiendi, etc.

227.—Syllogismus copulativus sequentibus regulis subjicitur:

1.^a *Cum membra majoris sunt inseparabilia; affirmato vel negato uno in minore, affirmanda vel neganda sunt copulative cætera in conclusione.*

Ratio est; quia, si inseparabilia sunt; ubi est unum, cætera etiam esse debent. Hinc recte concludes hoc modo: *Æque damnantur ebriosus atque avarus: atqui ebriosus damnatur: ergo etiam avarus. Æque conducunt ad felicitatem honores ac voluptates: atqui voluptates non conducunt ad felicitatem: ergo nec honores.*

228.—2.^a *Cum membra majoris sunt incompatibilia; 1.º Affirmato uno in minore, cætera neganda sunt copulative in conclusione: 2.º negatio tamen unius in minore non confert jus ad affirmandum aliquod ex cæteris in conclusione.*

Ratio *primi* est; quia duæ formæ incompatibiles non possunt esse simul in eodem subjecto (52); ac proinde ex præsentia unius recte infertur alterius absentia. Hinc recte concludes sic: *Nemo potest esse vitiosus et interna pace frui: atqui Petrus est vitiosus: ergo interna pace non fruitur.*

Ratio *secundi* est; quia, quando membra sunt incompatibilia, in majore solum dicimus ipsa non posse simul in eodem subjecto existere. Ergo ex eo quod deinde in minori dicamus unum ex illis membris non inveniri in aliquo subjecto, non sequitur alterum in eo inveniri; quia fortasse nullum ex illis subjecto convenit. Sic male concludes dicendo: *Nemo potest stare et sedere: atqui Petrus non sedet; ergo stat*, quia potest ex. gr. *jacere.*

229.—Syllogismus disjunctivus substat his regulis:

1.^a *Non debet dari medium inter membra disjuncta.*

Ratio est; quia veritas judicii disjunctivi in hoc

præcise consistit, ut nullum detur medium inter membra ejusdem, ut supra visum est (182, 2.^a).

2.^a *Affirmato uno membro in minore, cætera neganda sunt copulative in conclusione; et negato uno membro in minore, cætera affirmanda sunt disjunctive in conclusione.*

Ratio *primi* est; quia membra hujusmodi debent esse incompatibilia, ac proinde ex præsentia unius recte infertur absentia reliquorum omnium. Sic recte concludes dicendo: *Aut sedes, aut stas, aut jaces, aut alium situm habes: atqui sedes: ergo nec stas, nec jaces, etc.*

Ratio *secundi* est; quia in majore dicitur disjunctive unum ex prædicatis enumeratis necessario convenire subjecto. Ergo si postea in minore negatur aliquod, in conclusione affirmanda sunt de illo cætera disjunctive. Hinc recte concludes sic: *Aut sedes, aut stas, aut jaces, aut alium situm habes: atqui non sedes: ergo aut stas, aut jaces, etc.*

Syllogismus copulativus et disjunctivus ad conditionalem, hic vero ad simplicem reduci possunt: non autem immorabimur in ostendendo modum, quo id fieri queat (1).

230.—III. Tandem quod attinet ad syllogismos crypticos seu occultos, qui sunt *enthymema*, *dilemma*, *epicherema* et *soriles* (208), sequentes regulæ statuendæ sunt:

1.^a *Enthymema eisdem regulis subjacet quibus syllogismus simplex.*

Ratio est; quia enthymema non est nisi syllogismus quidam, cui una præmissarum est occulta. Nomine autem syllogismi simplicis *illum* intelligimus, *qui solis judiciis simplicibus constat*; cuique proinde regulæ generales ratiociniorum sufficiunt.

(1) Cfr. ad hoc, si lubet, P. Tongiorgi *Logic*. lib. 3, cap. 3, art. 4. nn. 268-273.

2.^a *Ad valorem dilemmatis requiritur: 1.º Ut non detur medium inter membra disjuncta; 2.º ut unumquodque membrorum aliquid contineat ad conclusionem conducent; 3.º ut retorqueri nequeat.*

Ratio *primi* est; quia iudicium, quo membra dilemmatis enuntiantur, est disjunctivum; ac proinde regulas iudicii disjunctivi sequi debet (182. 2.^a).

Ratio *secundi* est; quia secus dilemma esset inutile.

Ratio *tertii* est; quia si retorqueri potest ab adversario, utrumque arguentem eodem modo premet, ac proinde frustra adhibebitur ad adversarium oppugnandum.

3.^a *Epicherema eisdem regulis regi debet, quibus syllogismus simplex.*

Ratio est; quia in illo nonnisi syllogismi quidam simplices continentur, ut ex illius consideratione patet. Quod quidem videri optime potest in sequenti exemplo: *Omne simplex est incorruptibile; non enim habet partes, in quas resolvi possit. Atqui anima humana est simplex. Ergo est incorruptibilis.* Ratiocinium enim hoc ita exponi debet: *Quod non habet partes in quas resolvi possit, est incorruptibile: atqui anima humana non habet partes: ergo est incorruptibilis.* Probatur minor. *Quod est simplex, non habet partes: sed anima humana est simplex: ergo non habet partes.*

4.^a *Sorites quoque eisdem regulis substat, quibus syllogismus simplex.*

Ratio est; quia sorites non est nisi quædam syllogismorum simplicium coacervatio. Hoc patet ex sequente exemplo: *Qui avarus est, multa desiderat. Qui multa desiderat, multis eget. Qui multis eget, non est felix. Ergo avarus non est felix.* Ratiocinium enim hoc ita resolvi debet: *Qui avarus est, multa desiderat: atqui qui multa desiderat, non est felix: ergo avarus non est felix.* Prob. min. *Qui multa desiderat, multis eget: atqui qui multis eget, non est felix: ergo qui multa desiderat non est felix.*

ARTICULUS IV.

De manifestatione externa ratiocinii.

232.—Manifestatio externa ratiocinii dicitur *argumentatio*; quæ proinde non aliud est, quam *ratiocinium verbis expressum*. Idcirco omnia quæcumque diximus de ratiocinio, etiam de argumentatione intelligi debent, in qua proinde dantur *materia et forma, antecedens et consequens, præmissæ et conclusio, consequens et consequentia, argumentatio deductiva et inductiva, simplex et composita*, etc. In præsentī ergo articulo hoc tantum restat ut de concertatione scientifica aliquid dicamus.

233.—Concertatio scientifica est *lucta quædam intellectualis, in qua duo argumentis ad invicem pugnant ut veritas aliqua in sua luce collocetur*. Porro, si veritas dilucidanda per modum dubii resolvendi proponatur, vocatur *quæstio*: si autem ut res certa aut probabilis ab aliquo ex concertantibus propugnetur; dicitur *thesis, propositio, conclusio*, etc.

234.—Utilitas harum concertationum, cum recte fiunt, aperte patet. In illis enim concertatores mutuam sibi lucem affundunt, in medium afferendo quæ unusquisque de re disputationi subjecta cogitavit; atque ita paulatim consuetudinem contrahunt quaquaversus inspiciendi objecta, quod necessarium prorsus est ad ideas claras et distinctas in quacumque materia adquirendas. Præterea mirifice conducunt ad acuenda hominum ingenia; dum quis rationes quærit ut adversarium premat, hic vero solutiones detegit quibus arguens in angustias redigitur. Tandem sapientes moderatiores, cautioresque in suis iudiciis proferendis faciunt, rationum momentis pro unaquaque re hinc inde propositis, quæ non obscure limitationem humani intellectus demonstrant.

235.—Concertationes omnes in triplicem classem reduci possunt, *vulgarem* scilicet, *academicam* et *scholasticam*. Harum prima nullis regulis certis subicitur; secunda minus libere vagatur, libertate tamen non parva fruitur; tertia denique severiori agendi ratione ducitur. De singulis aliquid breviter dicendum.

236.—I. Concertatione vulgari utuntur generaliter homines, cum casu quolibet in aliquam disputationem incidunt. Tunc enim unusquisque pro re a se defensa rationes quærit, et adversarium vincere intendit solutis argumentis in contrarium ab illo propositis. Sed in hujusmodi pugnis nullus ordo generatim haberi solet. Unde fit, ut fere nunquam fructus aliquis reportetur; tum quia quæstiones multæ implicantur et una cum altera sæpissime confunditur; tum quia non raro ad meram logomachiam seu quæstionem de nomine infelicitè devenitur; tum denique quia unusquisque contententium ad sua tantum attendit, et adversarii argumenta aut parum considerat, aut caute dissimulat. Hoc igitur genus concertationum ad scientias acquirendas minime inservit.

237.—II. Concertationes academicæ discipulis Socratis familiares fuerunt, unde et *socraticæ* dictæ. Consistit autem modus disputandi academicus in usu quarundam interrogationum; quæ ab uno ex contententibus artificiose fiunt ad illum ita illaqueandum et irretiendum, ut cogatur aut thesim a se acceptam relinquere, aut aperte contradictoria admittere. Hac disputandi ratione usus est Dominus noster Jesus Christus, cum pervicaciam Phariseorum retundere conatus, ita eos de Messia interrogavit: *¿Quid vobis videtur de Christo? ¿Cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: ¿Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum ¿quomodo filius ejus est?* (1)

238.—Hoc disputationis genus tunc utile esse poterit, quando aliquem suis propriis affirmationibus irretire oportet; qui res etiam clarissimas perfricta fronte negat, nec rationibus

(1) Matth. XXII, 42-45.

ullis convinci potest. Cæterum illud ordinarie adhibendum non est: captiosis enim argumentationibus ansam præbet, quæ tandem in scepticismum deducunt. Et quidem Academici hac disputandi ratione perpetuo utentes in barathrum scepticismi omnes lapsi fuerunt. Concertandi genus solidum et ad scientias acquirendas aptum scholasticum est, de quo nunc jam dicere aggredimur.

239.—III. Concertatio scholastica, *sylogistica* quoque vocata ob frequentem usum syllogismorum aut etiam enthymematum in ea adhibitum, in eo substantialiter consistit, quod omnia nervose, simpliciter ac dilucide tractet, omissis quibuscumque circuitionibus, rebusque aliis ad quæstionis propositum non conducentibus. In ea non permittuntur amplificationes rhetoricæ, divagationes, aut etiam interrogationes, præter eas quæ stricte necessariæ sunt ad sensum verborum a concertantibus adhibitorum determinandum, ut hac ratione confusionis periculum in disputatione vitetur.

Porro defendens, proposita thesi, breviterque sensu illius explicato, rationes pro ea adducit concise omnino et omnem verborum apparatus fugiens; atque statim arguenti locum dat ut suas quoque in contrarium adducat. Deinde argumentum ab adversario, sive syllogismo, sive enthymemate aliquo, propositum repetit eisdem verbis, in quantum fieri potest; ac postea de singulis ejus propositionibus judicat, veram concedendo, falsam negando, obscuram et confusam distinguendo, ad quæstionis propositum nihil facientem transmittendo, aut totum argumentum simul in adversarium retorquendo, quando illud retorsionem patitur.

Cum conclusio ex præmissis minime sequitur, illas simpliciter transmittit, sive veræ in se sint, sive falsæ: et consequentiam negat: aut, si placet et res fieri potest, aliquam ex præmissis distinguit ac deinde consequens juxta diversos sensus in ea distinctos concedit vel negat. Quo quidem honori argumentis magis consulat: negare enim consequentiam argumenti ab adversario propositi idem in re est ac dicere illum, sive ex ignorantia, sive ex malitia, non recte esse ratiocinatum.

Aliquando arguens totum suum argumentum supra aliquam propositionem fundat, quam minime exprimit sed tamen ut veram falso supponit. Tunc defendens debet respondere negando *suppositum*; ut hac ratione vitet argumenta inepta et temporis utilitati consulat.

240.—Ita se gerere debet defendens in concertatione scholastica. Quod vero ad arguentem spectat, hic in primis argumentum suum ita semper proponat, ut conclusio sui syllogismi vel enthymematis contradictorie aut etiam contrarie opponatur propositioni per adversarium defensæ; quod diligenter in tota serie argumentationum servandum est. Deinde taceat, dum defendens sua verba repetit ac de singulis suis propositionibus iudicium fert; diligenter vero attendat ad responsiones ab ipso datas, ut argumentum apte resumere possit.

Si defendens aliquam ex præmissis negavit, hæc probanda est aliquo syllogismo vel enthymemate; tamquam si ageretur de primaria adversarii thesi oppugnanda. Si e contra consequentia negata est, consequentia est tunc ab illo probanda; quod ut obtineat, argumentum suum ita efformare debet, ut illius conclusio sit propositio conditionalis, habens pro conditione antecedens præcedentis syllogismi et pro conditionato consequens ejusdem. Consequentia enim non consistit nisi in nexu logico, qui intercedere debet inter antecedens et consequens; ac proinde defendens, negando consequentiam, existentiam hujus nexus simpliciter negat, ad quam probandam; conclusionem conditionalem prædictam demonstret arguens necesse est.

Denique, cum defendens aliquam ex tribus propositionibus sui argumenti distinguit; tunc triplici modo eum aggredi potest; probando scilicet distinctionem factam esse nullam, eo quod distinctioni locus nullus sit; ostendendo propositionem negatam esse veram, etiam in illo ipso sensu quo negata fuit; demonstrando denique doctrinam ab ipso sustentatam esse aliunde veram, quamvis falsa sit propositio in distinctione rejecta.

241.—Cum defendens paritatem negat, in qua arguens totum suum argumentum fundat; huic jus adest postulandi ab ipso rationem suæ negationis; vel potest demonstrare, si vult, existentiam illius paritatis. Cum propositio aliqua disjunctiva

negata est, potest adversarium cogere ad illi designandum membrum omisum. Tandem quando propositio negata est quædam doctrina universalis per inductionem adquisita; jus habet ab eo exigendi, ut ostendat rem, quæ suo iudicio intra propositionem illam includi non debet.

242.—En modum disputandi a Scholasticis adhibitum cum magno Philosophiæ proventu nec minore ingeniorum cultura. Aliqui sane inter recentiores torvo illum oculo aspiciunt, quod nimis severum reputant: sed severitas hæc nonnisi in laudem ejus vergit, cum illa sola capax sit scientiæ ædificio soliditatem conferendi. Dictum quidem contra Scholasticos est, eos calce et arena Philosophiæ ædificium construere solitos sine ulla elegantia fuisse. Sed in hac objectione pro re maxime probrosa sumitur, quod nonnisi gloria plenum a quovis cordato haberi debet; cum in scientiarum cultura, non tam elegantia, quam soliditas quærenda sit. Porro neoterici recentioribus suis philosophandi methodis disputandique ratione oratoria verborum fulgorem potius quam rerum firmitatem sectantur; oratores sunt aut poetæ, non autem veri nominis philosophi. Quot nunc libros atque scripta reperire est in magno pretio inter multos habita; quæ, si ad trutinam scholasticam reducerentur, quamplurimis propositionibus gratuitis aut etiam falsis scatere deprehenderentur! Profecto, si eorum auctores scholasticam methodum in eis componendis sequuti fuissent, in tales ineptias devenissent nunquam.

ARTICULUS V.

De figuris et modis syllogismorum.

243.—Inter omnes argumentationes primum locum tenet syllogismus ob magnam ejus simplicitatem ac claritatem. In eo enim clare ac expresse comparatur utrumque extremum cum medio; quod in cæteris arguendi modis fieri non solet. Proinde æquum est, ut hanc argumentationis formam speciali attentione inspiciamus: quod ut obtineamus, de figuris et modis syllogismorum distinctis paragraphis agemus.

§ I. QUOT SINT SYLLOGISMORUM FIGURÆ.

244.—Syllogismi figura est *medii termini cum extremis apta ad concludendum dispositio*. In syllogismo scilicet extrema cum medio comparantur; et ex hac comparatione in præmissis facta resultat deinde conclusio. Triplici autem modo disponi possunt termini in præmissis, quin pereat aptitudo syllogismi ad concludendum: nam terminus medius potest esse in illis, vel semel subjectum et semel prædicatum, vel bis prædicatum, vel bis subjectum. Hinc trestantum sunt figuræ syllogismorum: *prima*, in qua terminus medius est semel subjectum et semel prædicatum; *secunda*, in qua terminus medius est bis prædicatum; et *tertia*, in qua terminus medius est bis subjectum. Exemplo primæ figuræ sit sequens syllogismus: *Omne mortale est corruptibile: omnis homo est mortalis: ergo omnis homo est corruptibilis*. Exemplo secundæ sit hic: *Nullus homo est metallum: omne ferrum est metallum: ergo nullus homo est ferrum*. Exemplo tertiæ hic esse potest: *Omnis homo est fallibilis: omnis homo est substantia: ergo aliqua substantia est fallibilis*.

245.—Syllogismus in prima figura potest concludere tum *directe*, tum *indirecte*. Concludit directe, quando extrema in conclusione servant eundem locum, quem habent in præmissis; ita ut sit in conclusione subjectum quod erat subjectum in præmissis; et prædicatum, quod in illis erat prædicatum. Concludit vero indirecte, quando contrarium accidit; ita ut extremum quod erat in præmissis subjectum, in conclusione fiat prædicatum; et quod erat prædicatum, fiat subjectum. Exemplo conclusionis directæ sit sequens syllogismus: *Omnis homo est mortalis: omne mortale est corruptibile: ergo omnis homo est corruptibilis*. Exemplo indirectæ sit hic: *Omnis homo est fallibilis: omne fallibile est substantia: ergo aliqua substantia est homo*.

Ex hac dispositione terminorum ad concludendum indirecte voluit facere Galenus quartam figuram, sed immerito. Hæc

enim quarta figura non est nisi prima habens extrema in conclusione modo inverso. Si quis tamen contendat imitari Galenum, in hoc minime morabimur; res enim nullius momenti est. In cæteris figuris nulla alia conclusio nisi directa haberi legitime potest.

246.—Leges figurarum in syllogismis sunt tres, hisque verbis continentur:

1.^a fig. *Sit minor affirmans, major vero generalis.*

2.^a fig. *Una negans esto, nec major sit specialis.*

3.^a fig. *Sit minor affirmans, conclusio particularis.*

Hæ regulæ significant, in prima figura syllogismum non posse concludere recte, nisi præmissa minor sit affirmativa, major vero universalis; in secunda vero, nisi una ex præmissis sit negativa et major universalis; in tertia denique, nisi præmissa minor sit affirmativa et conclusio particularis. Ratio autem earum est; quia nulla illarum infringi potest, quin eo ipso infringatur aliqua ex octo regulis generalibus ratiociniorum supra expositis (213-220), ut unusquisque per semetipsum experiri potest (1).

§ II. QUOT DENTUR MODI SYLLOGISMORUM.

247.—Modus syllogismi vocatur *recta dispositio præmissarum secundum quantitatem et qualitatem, ut ex illis legitima inferri conclusio possit*. Porro propositiones sub ratione quantitatis et qualitatis nonnisi ad quatuor classes spectant, quæ his litteris repræsentantur A, E, I, O, ut supra dictum est (149). Jam vero ex iis quatuor litteris sub forma syllogistica positæ resultant sexaginta et quatuor combinationes ternariæ. Proinde, si omnes forent aptæ ad concludendum, totidem modos syllogismorum haberemus. Sed quoniam decem tantum et novem utiles sunt in hunc finem, ut cuique illas consideranti patere potest, decem tantum et novem sunt modi prædicti.

(1) Cfr. Tongiorgi, *Logica*, lib. 3, cap. 2, art. 1, n. 243, ubi harum regularum demonstratio habetur.

248.—Hos decem et novem modos Scholastici versibus quibusdam comprehenderunt: qui, licet barbari, nihilque significantes, laude tamen non parva digni sunt ob ingeniosam artem, qua res omnes exprimunt ad demonstrationem prædictorum modorum spectantes. Versus vero hi sunt sequentes:

Barbara, Celarent, Darii, Ferio.—Baralip-ton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.—
Cesare, Camestres, Festino, Baroco.—Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

249.—Unumquodque horum vocabulorum continet unum syllogismi modum, et quidem tali ratione, ut tres primæ illius litteræ vocales propositiones indicent in illo contentas. Sic ex. gr. in vocabulo *Barbara* vocales *aaa* significant propositiones esse tres universales affirmativas, in *Baralip-ton* vocales *aai* nobis dicunt propositiones ad hunc syllogismum pertinentes esse duas universales affirmativas et unam particularem affirmativam, etc.

250.—Præterea, vocabula prædicta ita sunt collocata, ut quatuor prima repræsentent syllogismos primæ figuræ directe concludentes (254); quinque sequentia illos qui in prima figura concludunt indirecte; quatuor prima versus tertii proprios secundæ figuræ; et reliqua omnia pertinentes ad tertiam. Hinc fit, ut, dato quovis syllogismo et cognita illius figura, statim cognoscamus quæcumque facere oportet ad illius legitimitatem demonstrandam; unumquodque namque vocabulum continet in se regulas ad hunc finem accommodatas.

251.—Ut autem sciamus ad quam figuram syllogismus aliquis pertineat, sufficit nobis observare locum, quem medius illius terminus in præmissis tenet (244); atque ad distinguendos in prima figura illos, qui concludunt directe ab indirecte concludentibus, inspicere præterea debemus utrum extrema illum ipsum locum occupent in conclusione, quem habent in præmissis, vel locus e contra ipsorum mutatus sit (245).

ARTICULUS VI.

De argumentationibus vitiosis.

252.—Dicitur argumentatio vitiosa illa, *quæ non conducit ad finem proprium argumentationis, seu ad manifestationem veritatis*. Vitium argumentationis haberi potest, tum ex parte materiæ, tum ex parte formæ; secundum quod aut error aliquis admittatur in iudicio aliquo ex quibus componitur, aut non servetur debitus ordo inter diversas illius propositiones. Depellere vitium materiæ in omnibus et singulis iudiciis quæ ab homine efformari possunt, non est proprium Logicæ; sed ad illas scientias spectat, quæ de objectis illorum iudiciorum tractant. Logicæ vero munus est assignare fontes aliquos generales, unde suos errores desumere solent argumentationes vitiosæ ex parte materiæ, et regulas dare ad declinanda vitia ex parte formæ. De hoc igitur duplici objecto distinctis paragraphis agemus.

§ I. QUÆNAM SINT ARGUMENTATIONES VITIOSÆ EX PARTE MATERIÆ.

253.—Argumentationes hujusmodi sunt: *Ignorantia elenchi, petitio principii, circulus vitiosus et falsa suppositio*. Defectus enim illarum non oritur ex violata lege aliqua syllogismorum, sed ex errore aliquo, sive scienter, sive ignoranter ab arguente admissio. Porro ignorantia elenchi consistit *in demonstranda loco theseos re alia, quæ cum thesi aliquam similitudinem gerit*. In hoc vitium incurrunt Physici moderni; cum, doctrinam de accidentibus absolutis a Scholasticis traditam oppugnaturi, dicunt *lucem, calorem, sonitum, etc.*, non esse

nisi meras corporum vibrationes. Ad Scholasticos enim hac in re oppugnandos probare deberent, non quidem hoc, sed hoc aliud, scilicet: principia activa, quæ tales vibrationes producunt ac determinant, quæque in substantiis materialibus existunt, ab ipsis substantiis re minime distingui; quod illi nullo modo demonstrant.

254.—Petitio principii sita est *in supponendo tamquam verum illud ipsum quod demonstrandum est*. In hoc vitium incurreret qui veracitatem idearum nostrarum v. gr. demonstrare ex veracitate divina intenderet. Inter ideas enim nostras invenitur etiam illa, quæ circa Dei existentiam versatur, quæque ex veracitate Dei probari minime potest.

255.—Circulus vitiosus fere idem est ac petitio principii. Consistit enim *in probando unam rem per alteram et hanc per illam*; ut si quis alicui probaturus Terram moveri circa Solem, diceret prædictum planetam moveri, quia Sol quiescit; et rursus contendere Solem quiescere, quia Terra circa ipsum movetur. Potest tamen absque circulo vitioso probari unum per aliud et hoc per primum; dummodo hæc demonstratio illis tantum fiat, qui unum ex illis admittunt. Sic enim non circulus vitiosus sed *argumentatio*, ut ajunt, *ad hominem* conficeretur; in qua *ex admissis ab adversario demonstramus ei aliqua, quæ tamquam dubia vel falsa rejicit*. Sic, admittenti Dei veracitatem possum ex illa probare mundi existentiam; et rursus admittenti mundi existentiam, negantique Dei veracitatem possum hanc ex illa ostendere.

256.—Tandem falsa suppositio ad hoc reducitur, *ut in argumentatione aliqua aliquid tamquam verum aut certum supponamus, quod nec verum nec certum est*; ut si quis, loquens de corporibus cœlestibus, diceret incolas illorum esse perfectiores incolis globi terrestris; tamquam si certum jam et demonstratum foret esse incolas in aliis globis præter nostrum. In

argumentationibus hujusmodi *suppositum* negandum est; quoniam tota earum vis fundatur in propositione aliqua falsa aut dubia, quæ ut vera aut certa implicite ab arguente supponitur.

§ II. QUÆNAM SINT ARGUMENTATIONES VITOSÆ EX
PARTE FORMÆ.

257.—Argumentationes vitiosæ ex parte formæ dicuntur *fallaciæ*; et quidem quando animo fallendi fiunt, vocantur *sophismata*; cum vero præter intentionem arguentis accidunt, *paralogismi* nuncupantur. Porro fallaciæ quamplurimæ existunt: nos autem præcipuas tantummodo enumerabimus; ut cum aliquis eis, sive inscitia, sive dolo malo, usus fuerit, illas dissolvere queant Philosophiæ alumni.

258.—Prima est fallacia *compositionis et divisionis*, quæ in transitu ex sensu diviso ad compositum vel ex composito ad divisum sita est (197). Sic fallacia compositionis habetur in hoc syllogismo: *Dormiens potest vigilare: atqui Petrus dormit: ergo Petrus potest vigilare, seu conjungere vigiliam cum somno*. E contra datur fallacia divisionis in hoc alio: *Qui dormit, non potest vigilare seu conjungere vigiliam cum somno: atqui Petrus dormit: ergo non potest vigilare seu ponere vigiliam post somnum*. Fallacia hæc facile dissolvitur distinguendo sensum compositum et divisum.

259.—Secunda vocatur *fallacia accidentis*; quæ tunc locum habet, cum de aliquo subjecto affirmatur aut negatur per se res aliqua, quæ non convenit illi aut repugnat nisi per accidens. Tales sunt hæc: *Latentem sub hoc pallio non cognoscis: atqui latens sub hoc pallio est frater tuus: ergo fratrem tuum non cognoscis*. Ex Medicina, Philosophia, etc., orta sunt plurima mala: ergo hæc scientiæ sunt hominibus noxiæ. Solvitur distinguendo sensum duplicem in propositionibus latentem. Sic in exemplis apposis verum est me non cognoscere fratrem meum, quatenus occultum sub pallio,

quæ est res illi accidentalis; sed falsum est me illum *absolute* non cognoscere. Verum etiam est ex Medicina, Philosophia, etc., orta esse *per accidens* multa mala, ratione scilicet mali usus ipsarum ab hominibus facti; sed falsum prorsus est hæc mala orta fuisse *per se* ex his scientiis, seu ratione ipsius usus earum, ut sic.

260.—Tertia est *fallacia a dicto simpliciter ad dictum secundum quid et e converso*. Tunc vero locum habet, cum quis ex eo, quod de aliquo subjecto affirmat aut negat sine ullo additamento minuente aut restringente, colligit idem de illo esse asserendum aut negandum cum aliquo additamento; aut cum contrario modo operatur. Exempla sunt. *Petrus est doctus: ergo scit vulneribus mederi. Christianis carnes comedere licet: ergo licet eis illas manducare feria VI hebdomadæ majoris. Hodie manducasti quod heri venatus es: atqui hodie manducasti leporem assum: ergo heri venatus es leporem assum.*

Hæc fallacia quoad substantiam eadem est ac illa, quam vocant *figuram dictionis*; quæ tunc habetur, cum ex identitate substantiæ ad identitatem qualitatum aut vice versa fit transitus, eo quod eodem nomine compellatur substantia aliqua sub aspectu quodam absoluto et sub alio relativo. Exemplo sit hoc ratiocinium: *Hodie sepultus est, qui heri visitavit te; atqui heri visitavit te quidam homo vivus; ergo hodie sepultus est quidam homo vivus*. Hæc omnia facile solves, si diversos sensus in eadem propositione latentes accurate distinguas.

261.—Quarta est *fallacia consequentis*: quæ tunc fit, cum quis conversim arguit in iis quæ non convertuntur; ut in hoc enthymemate: *Si curris, moveris: ergo si moveris, curris*. Facile solvitur negatione consequentiæ.

262.—Quinta est *fallacia non causæ, ut causæ*: quæ tunc habetur, cum, ob quandam connexionem, sive concomitantiam, sive successionis, etc., inter duas res in-

tercedentem, altera tanquam causa alterius falso consideratur; ut si quis diceret: Apparitionem cometarum secuta sunt bella inter homines: ergo apparitiones cometarum sunt veræ causæ bellorum. Post exortum Protestantismum europæi magno ardore scientias et artes excoluerunt: ergo Protestantismus est vera causa hujus ardentis amoris erga scientias et artes in europæis.

263.— Tandem sexta est *fallacia plurium interrogationum*: quæ in eo consistit, ut plures interrogationes per modum unius fiant, quasi ad omnes idem esset respondendum; ut hac ratione, quidquid adversarius respondeat, semper ex suis verbis aliquid contra ipsum inferri queat. Exemplo sit sequens: *Hispani, galli, mexicani, etc., suntne europæi, an non?* Si hæc arguenti affirmative respondeas, ille concludet: *Ergo mexicani sunt europæi*; si vero negative, reponet: *Ergo hispani et galli non sunt europæi*. Illam solves distinguendo inter diversa objecta de quibus interrogaris, et respondendo separatim ad singula juxta propriam ipsorum naturam.





LOGICÆ SECUNDA PARS

SEU

CRITICA.

264.—Critica dicitur *ea Logicæ pars, quæ versatur circa criteria*. Porro criterium (*α κρινω, judico*) idem significat atque *principium* seu *instrumentum judicandi*. Triplicis autem generis criteria existunt, scilicet: *criterium per quod, criterium quo, et criterium secundum quod*. Primum est illa facultas, per quam de rebus judicamus, ac vera certaue judicia elicimus: secundum sunt illa omnia media, quæ menti inseruiunt ad judicia vera ac certa comparanda; tertium denique est illa norma, secundum quam certo ac tuto verum a falso distinguimus.

265.—Facultas per quam de rebus judicamus, seu criterium *per quod*, est intellectus noster; ad quem spectat vi sua nativa judicia quævis efformare atque illa in se immediate recipere. Unde jure merito intellectum nostrum dicere possumus *principium efficiens veritatis logicæ* est enim veritas logica iudicium quod.

dam verum seu objecto suo conforme; iudicium autem omne ab intellectu nostro efficienter causatur.

266.—Media menti inservientia ad detegendum verum, seu criteria *quibus*, sunt illa omnia, quæ ad instar instrumentorum intellectui nostro ministrant, materiam iudiciorum suppeditando, apteque disponendo, ut tuto ac certo veritatem in illis assequi valeat. Unde recte a philosophis *fontes veritatis* vocari solent.

267.—Norma denique iudicatoria est *nota illa iudiciis veris ac certis exclusive propria, cujus proinde cognitione iudicia vera a falsis certo atque infallibiliter discernimus*. Unde, cum secundum illam mens regulari debeat, ut tuto et cum omnimoda infallibilitate verum a falso distinguat, non incongrue *criterium veritatis et certitudinis* ab omnibus est generaliter appellata.

268.—De triplici hoc criteriorum genere agendum nobis est in hac secunda Logicæ parte. Quod ut recte ac debito ordine perficiamus, materiam in tria capita dispertiemur; quorum primum circa principium veritatis efficiens, secundum circa fontes ejusdem, tertium denique circa certitudinis criterium versabitur.

CAPUT PRIMUM.

De principio efficiente veritatis logicæ.

269.—Principium hoc, ut nuper diximus, ipsa nostra intelligentia est. Proinde in præsentī capite de aptitudine intrinseca hujus facultatis ad assequendum verum et de modo, quo veritatem certo et infallibiliter assequitur, tractandum est. Id ergo intendentes, 1.^o de natura veritatis logicæ, 2.^o de natura certi-

tudinis, 3.^o de existentia certitudinis, tum philosophicæ tum vulgaris, 4.^o denique de influxu objectorum in veritatis logicæ productionem distinctis articulis agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De logica veritate.

270.—Veritas in genere, ut recte tradit Sanctus Thomas (1), in *adæquatione quadam intellectus et rei consistit*. Porro in hac adæquatione aut intellectus adæquatur rei, aut res intellectui. Si *primum*; veritas habetur *logica*: quæ proinde definiri potest: *Conformitas mentis cum re seu cognitionis cum re cognita*. Si *secundum*; erit veritas *realis*: quæ non est aliud nisi *conformitas rei cum mente*.

271.—Veritas logica in *pure logicam* et *moralem* dividitur; realis autem in *physicam* et *metaphysicam*. Pure logica est, cum in sola mente eam concipiente consideratur. Est vero moralis cum exterius manifestatur per signa sensibilia a voluntate ad eam significandam applicata. Realis physica dicitur objectum quodlibet in rerum natura existens et aptum ad veram sui cognitionem generandam. Realis autem metaphysica est quodlibet objectum reale abstractum, quod vera aliqua cognitione potest cognosci.

272.—Veritas moralis ad Ethicam spectat; physica ad scientias, quas vocant *naturales*; metaphysica ad scientias metaphysicas. Unde logici solum est veritatem logicam considerare. De hac igitur tantum in hoc articulo agemus, naturam tum illius tum etiam falsitatis, quæ ei contraria est, diligenti inquisitione investigantes et diversos mentis humanæ erga utramque status declarantes.

(1) «Per conformitatem intellectus et rei veritas definitur (S. Thom. *Summ. Theol.*, 1. p. q. 16, art. 2).»

§ I. QUÆNAM SIT NATURA VERITATIS LOGICÆ.

273.—Quæ ad naturam veritatis logicæ spectant, his quæstionibus continentur: 1.^a *An conformitas illa, in qua consistere dicitur veritas logica, aliquid intrinsecum addat actui cognoscitivo.* 2.^a *Ad quos actus hæc se conformitas extendat.* 3.^a *An diversi gradus in ea sint agnoscendi.*

Quod ad primam attinet, breviter dicimus conformitatem mentis cum objecto cognito nihil intrinsecum addere actui cognoscitivo; sed connotare tantum extrinsecam realitatem objecti sic exstantis a parte rei, sicut enunciat per illum. Nihil enim aliud requiritur ad veritatem logicam in aliquo actu cognoscitivo concipiendam præter ipsum actum et extrinsecam connotationem objecti. Hinc veritas logica ex complexu actus cognoscitivi et realitatis objecti, sic exstantis prout per actum enunciat, resultare dicenda est: ac proinde abque ulla intrinseca mutatione actus cognoscitivi et per solam mutationem objecti potest actus aliquis ex logice vero in logice falsum converti.

Hoc ad primæ quæstionis resolutionem sufficiat, cum res sit parvi momenti. Reliquas vero sequentibus propositionibus ventilabimus.

PROPOSITIO PRIMA.

*Veritas logica invenitur, non solum in iudicio,
sed etiam in simplici tum intellectus tum
sensus apprehensione.*

274.—Prima pars demonstratione non eget. Per se namque evidens est iudicia a nobis sæpissime efformari objectis conformia, sive discursiva sint, sive im-

mediata. Secunda vero his duabus rationibus ostenditur:

1.^a Apprehensio tam intellectus quam sensus est realis cognitio; et, prout talis, aliquod objectum repræsentat. Ergo quando hoc objectum tale in se sit, quale per illam repræsentatur; apprehensio illius, sive intellectualis sit, sive sensitiva, erit illi conformis ac proinde logice vera. Atqui sæpissime saltem apprehensiones objecta repræsentant qualia in se sunt. Ergo ratio veritatis logicæ etiam in illis invenitur.

275. — 2.^a Omnis apprehensio, non minus quam iudicium, ita circa aliquod objectum versatur, ut vere ad illud repræsentandum tendat quale in se est; hoc enim omnibus cognitionibus convenit. Ergo quando illud ita de facto repræsentet, tunc vera dicenda erit. Atqui sæpe saltem de facto illud ita repræsentat. Ergo etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

*Veritas logica in simplici apprehensione nonnisi
inchoate atque imperfecte, in iudicio autem
plene ac perfecte existit.*

276. — *Prob. 1.^a p.* — 1.^o Eatenus in simplici apprehensione existere potest veritas logica, quatenus simplex apprehensio est cognitio. Atqui est cognitio non plena sed inchoata et imperfecta; nam quando dicimus *Petrus, Paulus, homo*, etc., quæ sunt verba simplicibus apprehensionibus correspondentia, conceptus remanet imperfectus, sensusque orationis pendulus. Ergo veritas logica in simplici apprehensione nonnisi inchoatè et imperfecte habetur.

277. — 2.^o Simplex apprehensio in nobis non est nisi via quædam, qua ad iudicium perveniatur. Ex

modo enim nostro imperfecto percipiendi res per conceptus inadæquatos fit, ut prius illas diversis conceptibus simplicibus concipere et deinde nostrum iudicium proferre cogamur ad ipsas nobis plene repræsentandas. Ergo quamdiu res simplicibus tantum conceptibus nobis repræsentabimus, intellectus noster nonnisi inchoate et imperfecte illis conformis esse poterit; ac proinde veritas logica in simplicibus apprehensionibus nonnisi hoc modo imperfecto habetur.

His duabus rationibus hæc tertia addi potest. Veritas logica tunc plene in intellectu nostro existit, cum ab illo cognoscitur; quando enim illam cognoscit, tunc eam plene possidet. Atqui mens donec iudicet, non videt conceptum suum esse conformem rei per ipsum repræsentatæ; ac proinde nondum habet in se veritatem logicam, ut cognitam. Ergo veritas hæc plene ac perfecte non habetur nisi in iudicio.

278.—*Prob. 2.^a p.*—Tres rationes præcedenti numero allatæ probant, non solum veritatem haberi in simplicibus apprehensionibus modo quodam inchoativo et imperfecto, sed reperiri etiam in iudiciis modo pleno ac perfecto. Nam quod ad primam attinet, in oratione enuntiativa, quæ est manifestatio externa iudicii, habetur conceptus mentis perfecte expressus et minime suspensus. Quod vero ad secundam spectat, iudicium de se non ordinatur ad aliud iudicium; ac proinde in illo intellectus quiescit tamquam in termino et tamquam in plena objecti repræsentatione. Denique ex tertia patet veritatem solo iudicio plene possideri atque idcirco in illo solo perfecte existere. Ergo etc.

279.—De tertia hac ratione disserens D. Thomas, sic scribit: «Intellectus conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest: sed tamen non apprehendit eam secundum quod cognoscit de aliquo quod quid est. Sed quando iudicat rem ita

se habere, sicut est forma quam de re apprehendit; tunc primo cognoscit et dicit verum. Et hoc facit componendo et dividendo. Nam in omni propositione aliquam formam significatam per prædicatum vel applicat alicui rei significatæ per subiectum, vel removet ab ea: et ideo bene invenitur, quod sensus est verus de aliqua re vel intellectus cognoscendo quod quid est, sed non quod cognoscat aut dicat verum. Et similiter est de vocibus incomplexis. Veritas igitur potest esse in sensu vel in intellectu cognoscente quod quid est, ut in quadam re vera non autem ut cognitum in cognoscente: quod importat nomen veri. Perfectio enim intellectus est verum ut cognitum. Et ideo proprie loquendo veritas est in intellectu componente et dividente, non autem in sensu neque in intellectu cognoscente quod quid est (1).»

280.—Secundum pulcherrimam hanc Aquinatis doctrinam, intellectus noster, dum iudicat, non modo identitatem aut non-identitatem subjecti et prædicati cognoscit, sed etiam conformitatem sui actus iudicativi cum re iudicata; quod est cognoscere veritatem. Hanc vero conformitatem novit, non quidem alio actu novo distincto a iudicio, sed ipso actu iudicandi seu componendi prædicatum cum subjecto aut illud ab eo removendi. Nam actus hic componendi et dividendi directe quidem in rem ipsam a se distinctam fertur; sed indirecte et quasi reflexione quadam virtuali in se ipsum quodammodo revertitur et conformitatem sui percipit cum re illa, circa quam directe versatur. Et hujus rei hanc rationem reddit D. Thomas; quia nempe in iudicio comparamus res, non utcumque, sed ut per simplices nostros conceptus apprehensas: unde fit ut, dum cognoscimus inter res illas relationem conformitatis aut discrepantiæ existere, cognoscamus etiam hanc ipsam relationem inter ipsos earum conceptus haberi; hosque proinde, utpote rebus conformes, veritatem in se continere.

281.—Audiamus Suarezium laudatam Aquinatis doctrinam optime, ut solet, explicantem. «Intelligit D. Thomas, quando intellectus componit aut dividit, in actu exercito cognoscere id, in quo veritas consistit, et consequenter affirmare vel negare

(1) S. Thom., *Summ. Theol.*, I. p. q. 16, art. 2.

veritatem ipsam seu falsitatem. Et hac speciali ratione dicit veritatem esse in compositione et divisione. Quid autem sit in actu exercito veritatem cognoscere seu affirmare, ita potest declarari: nam intellectus noster per unum simplicem conceptum non concipit adæquate, neque exhaurit distincte et clare rem conceptam, sicut faciunt Deus vel Angeli; et ideo, postquam aliquo modo confuse et inadæquate illam concepit, ut illam distincte et adæquate cognoscat, illi attribuit plura prædicata sive re, sive ratione tantum distincta. Sicut autem de vocibus Aristoteles dixit, quia res non possumus adducere ad scholas, utimur terminis pro rebus, ideoque, quando affirmamus unam rem de alia, id exterius non facimus nisi mediante voce significante et quatenus significans est; ita, quando mente unum de alio affirmamus, quamvis præcipue intendamus rem de re affirmare, id tamen non facimus nisi per conceptus, quatenus naturaliter nobis repræsentant res. Atque hinc fit ut, dum componimus unam rem conceptam cum alia vel cum ipsamet alio modo concepta; comparando rem ipsam, simul in actu exercito comparamus conceptum nostrum ut repræsentantem illam rem. Ut v. gr., quando intellectus componendo dicit hominem esse album, formaliter et directe cognoscit identitatem vel conjunctionem quam album habet cum homine; simul tamen in actu exercito ipso cognoscit conceptum albi aliquo modo continere sub se hominem et repræsentare illum, et consequenter esse illi aliquo modo conformem (1).»

PROPOSITIO TERTIA.

In veritate logica dantur diversi gradus, ita ut ipsa etiam judicia alia aliis veriora existant.

282.—*Dem.* In primis, si simplicem apprehensionem cum iudicio comparemus, manifeste patet ex dictis in præcedente thesi veritatem diversos gradus in illis obtinere; cum in prima inchoate, in secundo vero plene ac perfecte existat. Notandum

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 8, sect. 3, n. 18.

tamen est hoc in actibus tantum hominum contingere. Nam Angeli, utpote perfectiores substantiæ, per unum et eundem actum rem apprehendunt ac de illa judicant; quod a fortiori dicendum est de Deo.

283.—Deinde, si de ipsis judiciis sermo fiat, facile patet unum altero verius posse existere. Nam per unum iudicium possumus plenius ac perfectius rem aliquam cognoscere quam per aliud. Præterea iudicium certum atque evidens intimius ac fortius connectitur cum suo objecto quam probabile; quamvis hoc etiam sit verum. Denique in evidentiâ ipsa gradus existunt; ac proinde dari queunt iudicia aliis evidentiora et veritatis rationem perfectiori modo participantia. Ergo patet veritas thesocos a nobis stabilitæ.

§ II. QUÆNAM SIT NATURA FALSITATIS LOGICÆ.

284.—Dari in nobis falsitatem logicam certo certius est; unusquisque enim limitationem suæ mentis in se experitur et iudicia falsa per illam efformata. Solum igitur restat naturam falsitatis investigare: quod ut efficiamus, eundem ordinem tenebimus, quem in paragrapho præcedente loquentes de veritate sequuti sumus.

285.—Atque in primis, cum veritas logica consistat in conformitate mentis cum re, falsitas ejusdem generis necessario definiri debet *difformitas mentis cum re*: ambæ namque contrariæ existunt. Deinde, cum veritas logica sit aliquid partim intrinsecum, partim extrinsecum actui vero, hoc ipsum de falsitate dicere oportet relata ad actum falsum: de contrariis enim eadem est ratio, ut dicere amant philosophi. Præterea, cum in veritate diversi dentur gradus propter rationem dictam, hoc ipsum de falsitate asserendum est.

286.—Denique, cum veritas non modo in judiciis sed etiam in simplicibus apprehensionibus inveniatur;

id ipsum quoque de falsitate asseramus oportet propter eandem rationem ex natura contrariorum desumptam. Multi tamen hoc admittere renuunt, dicentes simplices apprehensiones omnes esse necessario veras, quia semper et necessario conformantur objecto per illas repræsentato. Horum vero sententiam, quamvis fere non nisi quoad modum loquendi a nostra discrepantem, minime admittendam judicamus. Ipsi enim verbis, quibus Suarezius probat veritatem inveniri in simplicibus conceptibus, probatur etiam aperte falsitatem quoque posse illis aliquando inesse. Et sane, verba Suarezii hæc sunt: «Notitia simplex, quæ *simplex apprehensio* dici solet, in tantum est capax alicujus veritatis, in quantum cognitio est et *aliquam rationem judicii participat* (2). Atqui cognitio, in quantum rationem judicii participat, potest esse falsa: quia fieri quit ut implicite affirmet rem conceptam esse extra intellectum qualis per illam repræsentatur, cum tamem in se aliter se habeat. Ergo... Dicendum ergo simplicem apprehensionem sub ratione repræsentationis præcise nec falsam nec veram esse; sub ratione vero judicii impliciti et veram et falsam esse posse. Videantur quæ hac super re latius in Logica hispane scripta protulimus.

§ III. QUINAM SINT MENTIS STATUS RESPECTU VERITATIS.

287.—Mens respectu veritatis potest in diversis statibus inveniri. Nam vel eam omnino *ignorat*, vel de ejus existentia *dubitat*, vel illam *suspicitur*, vel ipsi *opinando* adhæret, vel denique illam omnimoda cum *certitudine* amplectitur. Quinque ergo status hac in re menti accidere possunt;

(2) Suarez, *Metaphys.*, disp. 9, sect. 1, n. 2.

ignorantiæ scilicet, *dubii*, *suspicionis*, *opinionis* et *certitudinis*; ac de illis aliqua nunc breviter dicere oportet.

288.—Atque in primis ignorantia est *ille status mentis, in quo alicujus objecti cognitione caremus*. Potest esse vel *totalis* vel *partialis*; secundum quod mens nihil omnino sciat circa aliquam rem, vel solum aliquid cognoscat. Sic circa incolas Martis in plena ignorantia versamur, circa stellas vero cœli *determinatus* earum numerus nos latet. Totalis iterum potest esse vel *absoluta* vel *relativa*; prout mens omnium prorsus rerum notitia careat, vel aliquas cognoscat.

289.—Ignorantiæ aliquo modo affine est *dubium* seu *dubitatio*, quæ *status ille est, in quo mens circa objectum aliquod illi propositum judicium suspendit*. Porro *dubium* potest esse *positivum* vel *negativum*. Primum habetur, quando suspensio judicii enascitur ex gravitate rationum ad assensus contrarios impellentium; secundum vero, quando rationes ad assensum moventes leves apparent.

290.—*Suspicio est judicium quoddam imperfectum levibus rationibus innixum*. Juxta aliquos non proprie judicium est sed inclinatio tantum ad judicandum (1). Sed hoc minime admitti potest; nisi sermo sit de judicio, non qualicumque, sed firmo ac certo, quale est judicium temerarium. Inter hoc et suspicionem aliqua sane differentia existit; sed hæc differentia minime reponenda est in eo, quod unus ex illis actibus judicium sit, alter vero non; cum ambo sint vera judicia levibus rationibus fundata. Differentia ergo inter hos duos actus hæc est, quod suspicio sit judicium quoddam imperfectum, judicium autem teme-

(1) Liberatore, *Logicæ*, n. 112.; Tongiorgi, *Logicæ* 2.^a p. n. 399.

rarium iudicium firmum et perfectum in genere suo (1).

291.—Opinio est *status quidam, in quo mens objecto alicui adhæret cum formidine errandi*. Porro formido hæc exinde enascitur, quod rationes ad assensum impellentes irrefragabiles et cum veritate infallibiliter connexæ non appareant. Et quidem, si rationes hæ sunt graves et magni ponderis; iudicium quo objecto adhæremus, dicitur *prudens*, quia proprium hominis prudentis est rationibus gravibus in agendo duci; atque etiam *opinio probabilis*, quia veritas illius solidis rationibus probari valet. Si vero rationes prædictæ leves existant; tunc iudicium memoratum vocatur *imprudens* et *opinio improbabilis*, quia nemo prudens illis in agendo ducitur; et nomen præterea accipit sive *iudicii temerarii* sive *suspicionis*, secundum quod fuerit firmum vel secus.

292.—Opiniones possunt esse *absolute* vel *comparative* probabiles. Sunt absolute probabiles; quando rationes, quibus innituntur, in se ipsis consideratæ graves apparent. Sunt vero comparative probabiles; quando rationes hæ, etiam positæ e regione aliarum in contrarium existentium, suum robur conservare cernuntur. In hoc secundo casu una opinio erit *probabilior* alia, si gravioribus rationibus fundetur: sed non ideo illius probabilitatem elidet; quia rationes ejus non sunt evidentes, atque idcirco minime destruant rationes contrarias opinionis minus probabilis, quæ adhuc in suo robore perseverant. Porro hæ rationes tunc solum robur suum amittent, cum illarum oppositæ veram in animo certitudinem producent: sola enim certitudo infallibiliter connectitur cum veritate. Hinc fit, ut opinio probabilior absolute

(1) Cfr. S. Thomas, *Summ. Theol.*, 2.^a 2.^æ q. 60, art. 3.

possit esse falsa, et verior quam sua contraria dici nequeat; cum *multa falsa sint probabiliora veris*, ut recte aiunt philosophi.

293.—Denique certitudo est *firmitas mentis, qua sine formidine erroris adhæremus alicui objecto proposito, illud pro vero habentes*. Quando hoc nobis accedit, tunc proprie veritatem logicam possidemus; quia illam clare cognoscit mens et in ea tamquam in proprio suo objecto quiescit. Quando autem opinamur, veritatem clare non percipimus; illique mens nonnisi formidolosum præbet assensum, quia videt errorem ei inesse posse. Porro, cum certitudo scopus sit, in quem omnes Logicæ regulæ atque operationes collineant, æquum est ut de illa aliquid enucleatius dicamus.

ARTICULUS II.

De certitudine.

294.—Ut de gravissima hac materia pro dignitate tractemus, rem totam in distinctos paragraphos partiemur; quarum primus naturam dabit certitudinis, secundus diversas ejus species enumerabit, tertius denique circa varios ejusdem gradus versabitur.

§ I. QUENAM SIT NATURA INTRINSECA CERTITUDINIS.

295.—Certitudo alia dicitur *cognitionis*, alia vero *objectiva*. Nos de prima hic tantum sermonem instituemus: illa enim sola certitudinis nomen meretur, cum altera nonnisi participatione quadam ita vocetur. «Certitudo, scribit D. Thomas, invenitur in aliquo dupliciter; scilicet *essentialiter* et *participative*. Essentialiter quidem invenitur in vi cognoscitiva; participative autem in omni eo, quod a vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad finem suum (1).»

(1) S. Thomas, *Summ. Theolog.*, 2.^a 2.^æ q. 18, art. 4.

Porro ad naturam certitudinis investigandam proprietates illius essentielles explicare oportet: has vero sequenti propositione considerabimus.

PROPOSITIO.

Proprietates essentielles certitudinis sunt sequentes:

1.^a *Ut detur connexio infallibilis inter actum cognoscitivum et realitatem objectivam;* 2.^a *Ut actus cognoscitivus ea firmitate constet, quæ excludat a se saltem omne dubium prudens;* 3.^a *Denique ut exercite saltem ac directe cognoscat mens nullum sibi probabile errandi periculum adesse.*

296.—*Prob. 1.^a p.*—Ut actus cognoscitivus sit certus, debet esse immobilis per se. Certitudo enim in quadam animi immobilitate consistit; hæc autem debet esse talis per se, sicut omnes essentialæ, non vero per accidens. Atqui hanc immobilitatem habere nequit, si non sit logice verus seu conformis realitati objectivæ; quia si sit logice falsus, immobilitas adhæSIONIS erit res omnino accidentatis progressu scientiæ dissipanda, sicut omnis error. Ergo ut actus cognoscitivus sit certus, debet habere infallibilitatem connexionis cum objecto reali.

297.—Aliqui nomine *certitudinis fallacis* appellant actum, quo quis sine ulla errandi formidine alicui rei errando adhæret (1). Sed in hoc et a communi loquendi modo apud philosophos ac theologos usitato recedunt, et veritati contradicunt. Persuasio enim hæc animi non influxui objecti sed aliis prorsus causis omnino accidentalibus et transitoriis debetur; ac proinde non certitudo *realis*, quamvis *fallax*, sed *falsa* et

(1) Cuevas, *Philosophiæ rudimenta*, Logica, n. 63.

apparens vocanda est. Imitatur quidem realem certitudinem, ut error veritatem; sed vera et realis certitudo dici nequit.

298. — Objicies: Ex eo quod immobilitas alicujus judicii falsi dissipari queat, non sequitur illud hic et nunc non esse realiter certum; quia etiam immobilitas judicii veri ac proinde certi per judicia contraria et falsa sæpe dissipatur. — Sed ad hoc facile respondebimus negando *suppositum*. Nos enim non ideo præcise asserimus judicium falsum non posse dici certum, quod ejus immobilitas per judicia contraria removeri queat; sed quia immobilitas hæc est ei omnino *accidentalis* et per judicia contraria dissipari *debet*, quod immobilitati judicii veri minime convenit. Non ergo magis realis certitudinis nomen meretur judicium quodvis falsum, quantumvis errandi formidine vacuum, quam mereatur nomen realis auri illud metallum, quod vere et proprie non est nisi aurichalcum.

299. — *Prob. 2.^a p.* — Actus ex se compatibilis cum dubio prudenti limites probabilitatis non excedit (321). Ergo ad hoc ut actus cognoscendi sit certus, debet excludere a se saltem omne dubium prudens.

Dixi *saltem omne dubium prudens*; nam exclusio dubii imprudentis non requiritur ad certitudinem; quia dubium imprudens levibus rationibus fundatur et ab omni cordato contemni debet. Porro si ad rationem certitudinis requireretur exclusio omnis dubii, etiam imprudentis; mysteria nostræ fidei non possent dici certa. Nam, ut ex constanti experientia patet, viri etiam sanctissimi et sapientissimi hæc dubia imprudentia inviti patiuntur, quamvis mysteria prædicta firmissime credant. Dicere autem mysteria nostræ Religionis non esse certa minime licet. Ergo ad rationem veræ certitudinis non requiri exclusionem dubii imprudentis res est manifestissima.

300. — Aliud esset, si actus foret, non solum certus, sed etiam evidens: nam evidentia tanta claritate repræsentat objectum, ut non sinat mentem ne imprudenter quidem de illius veritate dubitare. Evidentia autem, ut pugnet cum quovis dubio, etiam imprudente, debet esse *stricta*. Nam altera, quæ dicitur *lata* et non cum omnimoda claritate repræsentat objectum, coexistere quidem nequit cum dubio prudente, sed utique cum imprudente: unde simplici certitudini æquivalet.

301.—Ratio autem cur evidentia lata coexistere queat cum dubio imprudente, hæc est; quia nempe per illam objectum non ea claritate menti exhibetur, ut eam ad se necessario rapiat. Sed de evidentia inferius est suo loco tractandum.

302.—*Prob. 3. p.*—Ad hoc ut mens realiter certa sit de veritate sui actus cognoscitivi, debet aliquo modo cognoscere conformitatem illius cum objecto; quia secus non posset sine dubitatione asserere rem a se cognitam esse certo veram. Ergo firmitatem hanc debet saltem exercite et directe cognoscere per ipsum actum judicativum, quo objecto judicato adhæret; quia hæc est cognitio minima inter omnes, quæ possunt dari. Hæc autem cognitio exercita et directa sufficit; quia per illam mens jam cognoscit firmitatem suæ adhæSIONIS, ac proinde sine alia perfectiore asserere absque dubio potest rem a se cognitam esse certo veram.

303.—Hac de re optime Cardinalis de Lugo: «Eo ipso, quod homo assentitur veritati objecti, judicat non posse objectum esse falsum; et per consequens judicare potest, nec assensum posse esse falsum: nam idem est judicare objectum esse verum, ac non posse esse falsum..... Pro hujus tamen conditionis intelligentia adverte primo, nos non requirere ad hoc ut actus sit certus, quod cognoscatur reflexe necessaria connexio ipsius assensus cum veritate; nam sine ulla tali reflexione possumus habere cognitionem directam certam de aliquo objecto; ut quando oculis videmus lucem, certo etiam assentimur existentiae lucis absque ulla reflexione supra ipsum assensum (1)».

§ II. QUÆNAM SINT SPECIES CERTITUDINIS.

304.—Certitudo generatim dividitur: 1.^o in *subjectivam* et *objectivam*; 2.^o in *metaphysicam*, *physicam* et

(1) Lugo, *de Fide*, disp. 6, sect. 1. nn. 19-20. Cfr tota sectio citata.

moralem; 3.º in naturalem et supernaturalem; 4.º denique in vulgarem et philosophicam. De singulis pauca.

305.—I. Atque in primis certitudo subjectiva est *ea mentis firmitas, qua sine ulla errandi formidine adheremus veritati cognitæ.* Certitudo autem objectiva consistit *in quadam objecti immobilitate, per quam independenter ab intellectu nostro aptum est ad certam sui in nobis cognitionem generandam.* Sic dicimus existentiam tum mundi tum divini ejus Auctoris esse certam; spiritualitatem et immortalitatem animæ res esse indubias, etc.: quia hæc omnia objecta tali modo aptantur ex natura sua intellectui nostro, ut possint in illo indubiam sui cognitionem gignere.

306.—II. Certitudo metaphysica est *ea, quæ in principiis metaphysicis fundatur, seu talibus, ut nec per omnipotentiam divinam mutari queant.* Talis est certitudo, quam habemus de *rotunditate circuli, de quadrangulitate quadrati,* et in genere de omnibus essentiis metaphysicis rerum bene notis ac de mysteriis supernaturalibus certo revelatis a Deo. Quia primæ sunt absolute immutabiles (Ontolog. 18); et veritas secundorum quiescit super veracitate et scientia Dei, quæ nullo modo deficere possunt.

Certitudo physica est *illa, quæ fundatur in principiis physicis, seu talibus, quæ deficere nequeunt nisi in casu miraculi.* Sic ex. gr. physice certus sum de *reali cursu Petri,* quem oculi clarissime mihi renuntiant. Quia absolute loquendo hic actus visionis posset in me existere, etiamsi Petrus non curreret, causante Deo per suam omnipotentiam in organis meis eandem impressionem, quam in illis producit Petrus currrens. Hoc certitudinis genere nobis constant omnes effectus causarum physicarum in mundo existentium. Quia, quamvis Deus per suam omnipotentiam valeat illos suspendere aut mutare; sed hoc non potest facere nisi miraculose operando, et contra cursum naturalem et ordinarium rerum actionem suam exercendo.

Denique moralis certitudo est *illa, quæ fundatur in principiis physice fallibilibus, sed quæ talibus circum-*

stantiis vestiuntur, ut quodammodo principiis physicis æquivalent. Sic moraliter certus sum de *existentia urbis Petkin*, quam nunquam vidi: quia, licet testimonium humanum, ex quo hoc factum mihi constat, sit intrinsece fallibile, talibus tamen mihi adjunctis temporis, loci, personarum, etc., circumdatum ostenditur, ut non minore temeritate peccarem illi non credendo, quam si dubitarem de existentia Petri coram oculis meis currentis. Hoc genere certitudinis gaudemus, quum dicimus characteres typographicos non posse casu ita conformari, ut per solas naturæ vires illum ordinem sumant, quem in *Æneide* Virgilii ex. gr. ostendunt. Quia licet physice impossibile hoc non existat; sed tamen tot, tantisque difficultatibus circumdatur, quæ impossibilitati physicæ pares sint. Certitudo moralis aliquando probabilitati maximæ æquivalet; et tunc vocatur *certitudo lata*, quia nonnisi raro cum falsitate conjungi solet.

307.—III. Certitudo naturalis est *illa, quæ ex evidentia magis vel minus perspicua resultat, qua aliquod objectum clare apprehendimus.* Supernaturalis autem ea est, quæ principio alicui supernaturali debetur intellectum nostrum corroboranti, illumque elevanti ad ordinem altiorem, ut in eo producat actus quosdam intrinsece veros et dubium quodvis a se expellentes. Primi generis sunt omnes actus certi in nobis existentes et per solas vires naturales in animo nostro producti; omnes enim oriuntur ex evidentia, sive stricta, sive lata (330). Ad secundum vero pertinent actus supernaturales fidei, quibus firmissime adhæremus mysteriis christianæ Religionis tamquam certissime a Deo revelatis.

308.—IV. Denique certitudo vulgaris, quæ etiam *spontanea, naturalis et communis* dicitur, *illa est, quam de rebus habent communiter homines sponte naturæ et absque ulla industria adhibita ad illam acquirendam.* Hoc certitudinis genus invenitur, non modo in actibus directis intellectus, qui omnino spontanei sunt et sine ullo influxu libertatis exercentur, sed etiam in illis omnibus quos reflexion^c

libera eliciunt homines, cum necessitate aliqua pressi objectum aliquod prius cogitatum recogitant ut clarius ac distinctius illud percipiant.

309.—Certitudo vero philosophica seu scientifica ea est, quam studio atque industria adquirunt sapientes, scientifica methodo examinantes, non modo objectum cognitionis alicujus directæ, sed hanc ipsam cognitionem cum omnibus suis proprietatibus et circumstantiis, spectatis tum connexionem illius cum suo objecto, tum mediis per quæ parata est, tum legitimitate horum mediorum et modo quo adhibita sunt, etc.

310.—Certitudo vulgaris et philosophica non specie sed gradibus tantum accidentalibus inter se differunt. Utraque enim in naturali intellectus nostri inclinatione ad verum et in influxu objecti illum actione sua fortiter ad se trahentis atque ad assensum firmum impellentis fundatur. Sed philosophica vulgari perfectior est; per illam enim plenius rem cognoscimus atque etiam motiva, quibus de realitate illius objectiva certi efficimur.

311.—Evidentia quæ certitudinem comitatur, sæpe non stricta sed lata tantum est; ac proinde objectum non omnimoda claritate indutum repræsentat, mentemque ab imprudente formidine non liberat. Non ideo tamen *cæcum* dici debet iudicium, ad quod ipsa impellit; aut *obscurum* objectum, circa quod hoc iudicium versatur. Nam iudiciis vulgari evidentia præditis objectum clare intuemur, motivaque ad assensum firmum impellentia saltem confuse apprehendimus: quod quidem satis est ad res humanæ vitæ recte prudenterque tractandas.

312.—E contra evidentia certitudinis philosophicæ semper stricta est, ac cum dubio quovis etiam imprudente pugnat. Nec per eam cognoscimus implicite tantum et modo quodam confuso motiva, quibus firmitas assensus innititur, prout accidit evidentiae certitudinis naturalis, sed explicite ac distincte; ita ut de singulis plenam nobis rationem reddere valeamus.

313.—Reflexio etiam, qua veluti sponte naturæ utuntur homines ad acquirendam super aliqua re certitudinem naturalem, quasdam qualitates habet, quibus a reflexione philosophorum propria secernitur. *Prima* enim reflexio quædam est *vulgaris*, utpote ab hominibus generatim peracta: *spontanea*, cum illam exerceant homines quasi instinctu quodam naturæ et quadam veluti spontaneitate ducti: *facilis*, utpote versans circa objecta omnibus obvia et parum a sensibus remota: *ontologica* denique, quia per illam mens directe non fertur nisi in objectum antea cogitatum; unde potius quam reflexio *recogitatio* dici debet. *Secunda* vero est *scientifica*, ac proinde nonnisi paucorum propria; cum scientias vulgus minime colat: *omnino libera*, utpote ad usus humanæ vitæ minime necessaria et ad excolendas scientias liberrime adhibita: *difficilis ac laboriosa*, cum maximam mentis abstractionem requirat et circa objecta versetur valde a sensibus remota: denique *psychologico-ontologica*, utpote cognitionem objecti directam quaquaversus respiciens et quidquid in ea tam subjectivum quam objectivum invenitur, attente considerans.

314.—Præter has alia quoque differentia inter duas has reflexiones notabilissima existit: quæ quidem in eo posita est, ut reflexio vulgaris nullo unquam tempore certitudini naturali noceat, scientifica vero illi sæpe adversetur. Cum enim vulgaris reflexio quasi sponte naturæ ab hominibus fiat, ab ipso Deo quodammodo impressa dici debet; ac proinde ex se nonnisi ad certitudinem naturalem confirmandam inclinât. E contra reflexio scientifica opus est humanæ libertatis; unde et ad bonum et ad malum flecti potest. Exinde vero fit, ut qui non recte ea utuntur, in absurdissimos errores incidant et magna ex parte naturalem certitudinem perimant. Non tamen ex toto destruere eam possunt; quia natura fortior quavis humana industria est; Deo ita providente, ne homines intemperato suo sciendi desiderio in plenam insipientiam atque amentiam deveniant.

§ III. AN ET QUINAM SINT DIVERSI CERTITUDINIS GRADUS.

Quæstio proposita sequentibus propositionibus solvetur.

PROPOSITIO PRIMA.

Dantur in certitudine diversi gradus.

Est contra Herveum, qui diversos certitudinis gradus negavit.

315.—*Dem.*—1.^o Uno modo sumus certi in rebus supernaturalibus et alio in naturalibus: imo in his secundis alio modo assentimur objecto, quando ejus certitudo principiis metaphysicis innititur; et alio prorsus, quando super fundamentis quiescit ad ordinem physicum aut moralem pertinentibus. Ergo etc.

2.^o Certitudo est quædam mentis adhæsiō. In adhæsiōne autem diversi gradus inveniri queunt: fortius namque adhæremus ex. gr. præmissis, quam conclusioni; sicut vehementius volumus finem, quam media ad illum conducentia. Ergo etc.

3.^o Certitudo potest habere diversos gradus in pugnando cum falsitate. Nam pugna hæc potest esse naturalis in una propositione, et essentialis in altera; in hac potest enasci ex uno motivo, in alia vero ex duobus vel pluribus, etc. Ergo evidens prorsus est diversos dari gradus in certitudine.

PROPOSITIO SECUNDA.

*Certitudo proportionalis est tum fundamento suo
objectivo, tum principio efficienti a quo
actus certus producitur.*

316.—*Dem.*—Omnis effectus est proportionalis suis causis. Atqui causæ certitudinis sunt fundamentum

objectivum actus certi et principium subjectivum, a quo actus hic efficienter producitur et in quo, tamquam in subjecto, recipitur. Ergo.....

317.—Major et minor claræ sunt. *Major*: quia causa et causatum non possunt non habere proportionem inter se; cum tantum causet causa, quantum sit causatum, et vice versa. *Minor*: quia fundamenta certitudinis objectiva influunt in productionem actus certi, mentem nostram ad firmum et veritati conformem assensum determinando; ac proinde, non secus atque illa, vera illius causa existunt.

PROPOSITIO TERTIA.

Certitudo metaphysica essentialiter perfectior est quam physica, et hæc moralem eodem modo superat.

318.—Propositio hæc duas continet partes; quarum prima asserimus tres has certitudinis classes essentialiter inter se differre, secunda vero dicimus certitudinem metaphysicam aliis duabus, physicam autem morali perfectione præstare.

319.—*Prob. 1.^a p.*—Fundamenta objectiva, quæ formale uniuscujusque objectum constituunt, essentialiter ab invicem differunt. Ergo id ipsum asserendum est de actibus, qui suam ab illis certitudinem desumunt; siquidem actus quivis specificatur a suo objecto formali, sicut motus a termino in quem mobile fertur (1).

320.—Dicitur objectum formale alicujus potentiæ, ac proinde actuum etiam qui per illam producuntur, *terminus ille in quem talis potentia fertur*. Sic v. gr. *color* est objectum formale visus, *sonus* objectum formale auditus, *bonum* objectum formale voluntatis, etc.; eo quod hæc potentiæ in hujusmodi objecta

(1) S. Thom. *Summ. Theol.*, 2.^a 2.^æ q. 26, art. 7.

tamquam in suos proprios terminos vi suæ particularis naturæ tendunt. Porro objectum in *materiale* et *formale* dividitur. Formale est *illud, quod potentia propter se ipsum attingit*. materiale vero est *illud, in quod potentia tendit propter formale*; Sic in actu, quo amamus *medicinam* propter *sanitatem*, hæc secunda constituit objectum formale, illa vero prima objectum materiale; quia in sanitatem tendimus tamquam in *finem* et *terminum* hujus nostræ actionis, in medicinam autem ut in *medium quoddam* ad illam consequendam (1).

321.—Hinc intelligitur quomodo fundamenta objectiva certitudinis objectum formale constituent actus certi. In illis enim continetur ratio nostræ adhæSIONIS, qua firmiter adhæremus objecto tamquam vero; ac proinde illa admittimus propter se ipsa seu propter suum meritum intrinsecum, dum e contra veritatem in eis fundatam amplectimur propter firmitatem et intrinsecum meritum horum principiorum, quæ ad illam amplectendam nos determinant.

322.—*Prob. 2.^a p.*—Fundamenta objectiva, quibus innititur certitudo metaphysica, firmiora atque stabiliora sunt illis, quæ physicæ ac morali suum robur præstant (335). Ergo et actus per illa causatus intrinsece firmior atque stabilior esse debet, quam actus ad alias certitudinis species pertinentes. Pariter fundamenta certitudinis physicæ firmiora sunt atque stabiliora fundamentis certitudinis morales. Illa enim ex internis rerum naturis nascuntur et in solo casu miraculi deficere possunt: hæc vero ex extrinsecis tantummodo rerum adjunctis petuntur; ita ut intrinsece impossibile non sit ut contrarium de facto eveniat ejus rei, quam ipsa enuntiant. Ergo etc.

323.—Notandum primo, propter inæqualem horum fundamentorum perfectionem, intellectum nostrum majore firmitate *appretiatiua* adhærere veritatibus certis ordinis metaphysici

(1) Cfr. Quiros, *Cursus philos.* tract. 2, part. 1, de *Logicæ præximalibus* disp. 9.

quam physici aut moralis, et physicis quam moralibus: ita ut, si per impossibile aliqua ex illis ab intellectu rejicienda esset ad alteram tenendam; potius negaret veritatem ordinis moralis quam physici, et hujus quam metaphysici. Major tamen firmitas appretiativa non semper secum fert majorem firmitatem *intensivam*; quia hæc non tam ex nobilitate motivi quam ex vividiore phantasie repræsentatione pendet. Sic gradus intensitatis fidei supernaturalis et certæ qua mysteria nostræ Religionis credo, inferiores sunt gradibus certitudinis qua existentiam Petri coram oculis meis currentis admitto. Apretiative tamen magis adhæreo mysteriis prædictis quam existentie Petri: nam relatio oculorum meorum hanc mihi existentiam testificantium posset in casu miraculi esse falsa, sed revelatio divina in nullo prorsus casu falsa esse quit.

324.—Secundo notandum est omnes certitudinis species æquales esse ex parte sua *negativa*, qua dubium expellunt; cum in absentia dubii gradus dari nequeant. Sed præter elementum hoc negativum habet unusquisque actus certus suum elementum *positivum*, a quo proprie suam speciem sortitur: et hoc elementum, juxta majorem vel minorem ejus nobilitatem, efficere potest ut actus magis vel minus certus evadat.

PROPOSITIO QUARTA.

Certitudo fidei supernaturalis perfectione superat quamcumque certitudinem naturalem, inclusa etiam metaphysica.

325.—*Dem.*—Certitudo est proportionalis principiis ejus subjectivis et objectivis (345). Atqui tam principium subjectivum quam objectivum certitudinis supernaturalis perfectione superat principia cujusvis certitudinis naturalis; nam quod supernaturale est, ad ordinem altiorem pertinet quam res omnes naturales. Ergo etc.

326.—Audiatur hac de re Eximius Suarez: «Dicendum est, certitudinem fidei esse scientia majorem... Ratio autem propria sumitur ex altioribus causis, quibus nititur certitudo fidei: fundatur enim in prima veritate, quam fallere vel falli impossibilius est, quam naturalem scientiam hominis errare. Item pendet certitudo fidei ex lumine infuso et divino, quod longe excellentius est quam lumen naturale intellectus: hujusmodi ergo lumen etiam confert excellentiorem certitudinem. Unde sæpe corrigimus naturale lumen per lumen fidei, etiam circa illa quæ videntur esse prima principia; ut patet in illo principio: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem, inter se*, quod in materia de Trinitate limitamus ad res finitas: et in aliis mysteriis, præsertim Incarnationis et Eucharistiæ, multa alia limitamus, ut fidei non repugnent: ergo signum est lumen fidei certius esse. Denique, quatenus fides pendet ex voluntate, ut jam dicam, nititur in speciali motione Spiritus Sancti, quæ efficax est ad præstandam excellentiorem certitudinem. Unde etiam fit, ut certitudo fidei non admittat deliberatam dubitationem in intellectu, etiamsi mille argumenta accurrant, quibus homo satisfacere nesciat nisi ad fidem confugiendo; quod est etiam apertum signum majoris certitudinis (1).»

Solvitur quædam difficultas.

327.—Sed dices: Impossibile prorsus videtur, ut ego fortius adhæream veritatibus revelatis quam his ordinis naturalis: *Ego existo; totum est majus sua parte; nihil potest esse idem simul et non esse*, etc. ¶ Paratusne esse debeo ad valedicendum his veritatibus potius quam fidei? Talis animi dispositio, si existeret, esset prorsus absurda. Ergo certitudo fidei non superat omnem certitudinem naturalem.

328.—Resp. *Trans. ant., nego consequentiam*. Sane, dispositio animi memorata, si daretur, esset prorsus absurda: sed minime requiritur ad actum fidei. Hæc

(1) Suarez, *de Fide*, disp. 6, sec. 5. nn. 10-11.

enim non exigit a nobis res omnino chimæricas, quales sunt quæ in objectione proponuntur; sed solum, ut *coarctemus* ipsa principia naturaliter evidentia *ea ex parte qua opposita videantur* veritatibus supernaturalibus: quod quidem sufficiens est ad hoc ut veritatibus his majore firmitate *appretiativa* adhæreamus quam naturalibus.

329.—Hac super re optime Cardinalis de Lugo. «Nobis tamen non est necesse quidquam decernere circa hanc vel illam cognitionem evidentem in particulari: solum dicere possumus in genere, si detur aliqua notitia evidens evidentia methaphysica adeo clara et convincens, ut non sinat intellectum etiam ex imperio voluntatis dubitare de ejus veritate, vel non assentire; fideles de facto, quando credunt super omnia fidei objectum, non habere animum firmitus adhærendi rebus creditis etiam contra id, quod tali notitia cognoscerent; sicut nec præferunt hæc objecta fidei iis, quæ per visionem claram beatificam intuerentur, nec habent animum negandi ea, quæ taliter viderent, potius quam objecta credita. Hoc enim esset chimæricum, nec a fidelibus exigitur talis prælatio aut promptitudo, ut, si tali genere evidentiæ constaret contrarium illius quod per Ecclesiam proponitur; adhuc contra talem evidentiam retinerent Ecclesiæ doctrinam: esset enim stulta et chimærica promptitudo. Neque ex hoc sequitur vel arguitur quod fideles non credant res fidei super omnia: sicut etiam justus diligit Deum per charitatem super omnia simpliciter et absolute; et tamen non est promptus ad habendum odium Dei vel mentiendum, si per impossibile id Deo placeret: ille enim est casus chimæricus, et non comprehenditur sub universalitate dilectionis Dei super omnia (1).»

(1) Lugo, *de Fide*, disp. 6, sec. 3, n. 53.

ARTICULUS III.

De aptitudine nostri intellectus ad assequendam certitudinem.

330.—Tribuere intellectui humano intrinsecam aptitudinem ad assequendam certitudinem, idem in re est atque existentiam ipsius certitudinis agnoscere. Siquidem intellectus noster per suos actus illam perpetuo quærit; et fieri non potest, ut numquam omnino eam adipiscatur. Potentia enim quævis ab objecto quod naturaliter appetit, quodque intrinsecæ suæ naturæ attemperatur, nonnisi per accidens in suis operationibus aberrat; ac proinde illud per se atque ordinarie semper obtinet.

331.—Contra existentiam certitudinis omni ætate pugnauerunt *Pyrrhonicæ* atque *Scepticæ*. Porro ex his aliqui dubitationem *universalem* proclamaverunt, alii autem scepticismum quemdam *restrictum* et *relativum* professi sunt. Internas enim animi affectiones, quæ *phænomena subjectiva* dici solent, admittere non renuunt; solamque negant *objectivitatem* nostrarum idearum aut cognitionum sensibilium; vel dubitandum esse ajunt de objectiva rerum existentia, quæ per has perceptiones repræsentantur. Nos in hoc articulo scepticismum hujus secundæ classis minime attingemus, cum de illo inferius sit agendum. Solum ergo scepticismum absolutum et universalem examinabimus duobus paragraphis sequentibus.

§ I. AN ADMITTENDA SIT ALIQUA CERTITUDO.

332.—Quæstionem hanc minime instituimus ad demonstrandam existentiam certitudinis. Hæc enim velut res evidentissima ab omni cordato supponi debet; nec illius quis demonstrationem aggredi serio potest, quin in ipsam scepticorum amenitiam incidat (1). Mens ergo nostra in ea instituenda hæc est, ut homines sanos a scepticismi morbo liberemus: quam in rem sequentes propositiones statuemus.

(1) Cfr. super hoc Balmesius noster *Filosofia fundamental*, lib. 1, cap. 2, ubi præclare de hac materia agitur.

PROPOSITIO PRIMA.

Negari nequit alicujus certitudinis existentia quoad mentis humanæ judicia, nec in dubium reflexe vocari, nec reflexe ignorari, quin in ipsa negatione, reflexa dubitatione et reflexa ignorantia implicite affirmetur.

333.—*Prob. 1.^a p.*—Ut quis neget omnis certitudinis existentiam quoad judicia, ita debet dicere: *Nullum existit in me iudicium certo verum.* Sed qui hæc dicit, eo ipso asserit implicite existentiam certitudinis in aliquo ex suis judiciis. Ergo negari nequit existentia omnis certitudinis quoad judicia, quin eo ipso implicite affirmetur existentia alicujus iudicii certi.

Major clara est: minor vero in hunc modum probatur. Eo ipso quo quis iudicium memoratum pronuntiat, multas res tamquam certo veras supponit, scilicet *existentiam tam sui quam suæ propriæ assertionis, differentiam inter certitudinem et alios mentis status, inter verum et falsum, etc.*; siquidem sine certa harum omnium rerum suppositione non potest hoc iudicium elici. Ergo qui ait nullum in se iudicium certo verum existere, eo ipso existentiam alicujus certitudinis quoad judicia implicite affirmat.

334 —*Prob. 2.^a p.*—Dubitatio reflexa non admittentis ullam certitudinem hanc formam induet: *Dubito utrum existat realis certitudo.* Atqui in hoc iudicio multa tamquam certo vera implicite supponuntur. Ergo nequit in dubium vocari ulla certitudinis existentia etc.

Major probatione non indiget. *Probatur ergo minor.* In iudicio memorato implicite tamquam certo vera supponuntur sequentia: *existentia subjecti dubitantis, existentia dubii, differentia inter verum et fal-*

sum, certum ac dubium, etc.; impossibile enim est illud proferre absque implicita harum rerum omnium suppositione. Ergo in illius enuntiatione multa tamquam certo vera implicite supponuntur.

335.—*Prob. 3.^a p.*—Ignorantia reflexa dicentis se ignorare utrum existat aliqua certitudo hanc formam sumet: *Ignoro utrum existat aliqua certitudo*. Atqui in hoc judicio multa tamquam certo vera implicite supponuntur; *existentia nempe personæ dicentis se nescire, ejus ignorantia, differentia inter statum ignorantie et alios quosvis, inter verum et falsum, certum ac dubium, etc.* Ergo etc.

336.—COROLLARIUM. *Ergo admitti necessario debentum existentia alicujus judicii certo veri tum intrinseca aptitudo mentis nostræ ad illud efformandum. Prob. 1.^a p.*—Omnis homo, quantumcumque scepticus sit, aliquod judicium proferat necesse est. Atqui in omni judicio, non secus ac in cæteris nuper memoratis, multa tamquam certo vera implicite supponuntur. Ergo admitti necessario debet existentia alicujus judicii certo veri.—*Prob. 2.^a p.*—Qui format de facto judicia certo vera, habet intrinsecam aptitudinem ad illa efformanda. *A facto enim ad posse valet illatio*, ut loqui amant philosophi. Atqui mens humana, ut ex dictis patet, format de facto judicia certo vera. Ergo etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Negari nequit aut in dubium vocari existentia omnis certitudinis quoad ratiocinia, quin eo ipso humana ratio abjudicetur.

337.—*Dem.*—Qui negat aut in dubium revocat existentiam omnis certitudinis quoad ratiocinia, affirmat

nullum dari ratiocinium certo verum. Sed qui hoc asserit, eo ipso suæ propriæ rationi valedicit; siquidem ratio quæ nullum efficere valeat ratiocinium certum, nullius prorsus sive auctoritatis sive etiam utilitatis est. Ergo etc.

338.—COROLLARIUM. *Ergo affirmanda est existentia alicujus certitudinis quod ratiocinia et agnoscenda est aptitudo nostræ rationis ad ratiocinia certo vera efformanda.* Patet consequentia: nam nemo sanus potest rationi suæ valedicere, omnia prorsus illius ratiocinia pro incertis habendo. Ergo fateri omnes necessario debemus rationem nostram aliquando saltem ratiocinia certo vera efformare; ac proinde habere aptitudinem ad illa elicienda.

Difficultas.

339.—Ex rebus hic demonstratis tantum sequitur, nos invincibiliter trahi ad quædam judicia et ratiocinia pro certo veris habenda. Hoc autem minime probat talia judicia et ratiocinia esse realiter vera seu objectis extra intellectum positis conformia: nam fieri potest ut intellectus noster sit perpetuo inclinatus ad falso judicandum de rebus. Ergo tandem non constat utrum certitudine omnimoda adhærere debeamus alicui objecto; ac proinde dubium nobis universale tenendum est.

340.—Resp.—Hoc nonnisi ab amente objici serio potest. Nam dicere intellectum nostrum falsa veritatis specie perpetuo deludi, nunquamque ad veri possessionem venire, cum tamen veritas sit proprium illius objectum, nihil aliud est quam in puram amentiam incidere. Profecto, si intellectus noster ad falsum perpetuo inclinatus existere dicatur; ratio hujus perpetuæ inclinationis reddi debet. Hoc autem prorsus im-

possibile est; neque enim intra intellectum, neque extra intellectum inveniri valet. *Non intra intellectum*: nam intellectus natura sua est inclinatus ad verum, quod est suum proprium bonum; ac proinde ex se a vero aberrare non potest nisi per accidens. *Non extra intellectum*: nam nullum omnino ens, sive materiale, sive spirituale, sive creatum, sive increatum, potest illum tenere perpetuo inclinatum ad errorem; cum hoc et naturali ejus conditioni et divinæ bonitati prorsus repugnet. Ergo contra rationem prorsus fingitur a Scepticis inclinatio prædicta.

341.—Præterea, quo pacto errare possum circa meam existentiam, quando irresistibiliter omnino atque invincibiliter judico me existere? Dicam enim cum Sancto Augustino: «Nulla in his verbis Academicorum argumenta formido dicentium: *Quid, si falleris?* Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest: ac per hoc sum, si fallor. Quia ergo sum, si fallor; quomodo esse me fallor, quando certum est me esse, si fallor? Quia igitur essem qui fallerem, etiamsi fallerer; procul dubio in eo quo novi me esse, non fallor (1).»

342.—Sed non satis est probare intrinsecam intellectus nostri aptitudinem ad verum cum certitudine inveniendum; cum facile sit ostendere ipsum in suis judiciis ac ratiociniis per se atque ordinarie non falli. Sit igitur sequens.

(1) S. August., *de Civitate Dei*, lib. 11, cap. 26.

PROPOSITIO TERTIA.

*Intellectus humanus in suis judiciis et
ratiociniis non nisi per accidens aberrat atque ordinarie
veritatem assequitur.*

343.—*Dem.*—1.^o Error, ut ipsum nomen indicat, non est nisi aberratio quædam accidentalis a via, quam naturaliter sequitur intellectus. Ergo via hujus naturalis et ordinaria in omnibus suis actibus, tum apprehensivis tum judicativis tum discursivis, est via veritatis; ac proinde hi omnes actus ordinarie ac per se rebus conformes existunt, seu veritate donantur. Ergo...

2.^o Nulla potentia a suo proprio objecto deflectit nisi mediante externo influxu alicujus causæ per accidens eam ab illo abstrahentis. Potentiæ enim omnes vi sua intrinseca sponte naturæ in sua propria objecta feruntur ad eum fere modum quo gravia in centrum terræ inclinantur, quoties illorum actio in eis convenienter exercetur. Atqui proprium potentiæ intellectualis objectum est verum. Ergo intellectus a vero non deflectit nisi per accidens; ac proinde ordinarius et naturalis ejus modus operandi hic est, ut in suis actibus attingat verum, efformando ideas, judicia et ratiocinia rebus externis conformia. Ergo...

344.—Hinc sapienter docet D. Thomas intellectum nostrum in simplici apprehensione essentialium simplicium, qualia sunt *ens, verum, bonum*, etc., numquam falli. In hujusmodi enim actibus nullum patitur impedimentum ex parte causarum externarum; ac proinde sponte naturæ in suum proprium objectum inclinatur. Error vero, ex illius sententia, tunc solum possibilis est, et quidem per accidens, quando mens aut per synthesim unum conceptum cum alio componit, aut per analysim unum ab altero sejungit.

Difficultates.

345.—Obj. I. Demonstratio facta est pura petitio principii; siquidem supponit veracitatem intellectus nostri, quæ præcise est in quæstione. Ergo nihil prorsus valet.

Resp.—*Nego suppositum.* Nos enim in hac thesi, sicut etiam in duabus præcedentibus, minime intendimus veracitatem mentis nostræ demonstrare, sed solum scientifica quadam consideratione eam illustrare. Porro veracitas hæc nec potest demonstrari, quia in omni demonstratione ut res certa supponi debet; nec demonstratione indiget, quia in ipsa ejus negatione implicite asseritur (333).

346.—Obj. II. Potest voluntas esse generaliter inclinata ad malum: ergo etiam intellectus poterit esse generaliter inclinatus ad errorem, ac proinde in omnibus suis actibus perpetuo falli.

Resp.—*Nego ant.* Voluntas ex se non est inclinata nisi ad bonum; et inde fit, ut nihil prorsus appetere valeat nisi sub ratione boni. Aliquando quidem hoc bonum fictitium est et mere apparens, sed illa semper illud appetit sub ratione realis et veri. Hinc ex hoc ipso deducitur argumentum pro veritatem thesios: nam sicut voluntas nihil appetere potest nisi sub ratione boni, ita intellectus nihil admittere valet nisi sub ratione veri. Ergo signum evidens est ipsum ex se non nisi ad verum inclinatum esse; ac proinde ordinarie ac per se suos conceptus rebus cogitatis conformes esse, seu logica veritate constare.

§ II. QUID DICENDUM SIT DE SCEPTICISMO UNIVERSALI.

347.—Scepticismus hic nihil aliud est quam *doctrina dubitationis universalis*. Porro qui illum profitentur,

diversis nominibus compellari solent. Dicuntur *Pyrrhonicī* ex magistro eorum Pyrrhone, qui de omnibus dubitandum esse contendebat. Vocantur *Academicī*; quia sectantur doctrinam cujusdam scholæ antiquæ, *Academiæ* vocabulo insignitæ. Appellantur denique *Sceptici* ex verbo græco *σχεπτομαι*, quod significat *investigare*, seu *inquirere*; quia veritatem rerum nulli apparuisse dicunt et proinde totam philosophi sapientiam in ea investiganda consistere.

348.—Scepticismus duplici modo spectari potest, sive ut methodus philosophandi initiumque ex quo exordiri debet omnis scientia; sive ut doctrina quædam absoluta terminusque ultimus in quo quiescere debet omnis sapiens. Qui primo modo illum defendunt, dicuntur proprie *Sceptici*; quia horum proprium est a dubitatione omnem investigationem incipere. Qui vero eum secundo modo propugnant, vocantur *Acataleptici* seu *Incomprehensibiles*; quia sustinent res omnes menti humanæ impervias esse. Nos in præsentē quæstione de hac secunda scepticismi classe tantum agemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Cum sceptico omnino absoluto disputari nequit.

349.—*Dem.*—Cum eo qui de veritate ipsius principii contradictionis dubitat, disputari nequit: is enim consequenter dicet propositionem omnem ab adversario prolatam forte esse simul veram et falsam; ac proinde nihil stabile admittet. Atqui scepticus omnino absolutus includit in sua dubitatione universali veritatem ipsius principii contradictionis. Ergo cum eo disputari nequit.

350.—Hominibus ejusmodi veritates quædam manifestissimæ, v. gr. *existentia ipsorum propria*, *principium contradictionis*, *veracitas evidentiae*, etc., ponendæ ob oculos sunt; ut eas attentius considerando, scepticismo suo valedicant. Quod si post hanc attentam illarum considerationem adhuc in suo

dubio perseverant, inter homines quorum desperata est salus, quique hellebore magis quam demonstratione indigeant, censi sunt.

PROPOSITIO SECUNDA.

Dubitatio universalis et physice impossibilis est et moraliter illicita.

351.—*Prob. 1.^a p.*—Nemo, quantumvis conetur, dubitare potest de propria existentia aut de aliis veritatibus evidentissimis. Hinc sceptici omnes, non secus ac cæteri homines, necessitatibus cedunt humanæ vitæ, manducando, bibendo, ludendo, et cætera omnia faciendo, sine quibus mors certissime illis subeunda esset. De Pyrrhone fertur eum a cane in ipsum irruente fuga se liberasse; posteaque, ut factum hoc cum sua dubitatione componeret, solitum fuisse dicere: *Difficile est naturam vincere, conandum tamen*. His similia de aliis scepticis narrantur. Ergo manifestissime constat neminem, quantumvis scepticum, posse omnibus suis conatibus certitudinem suam naturalem penitus extinguere.

352.—*Prob. 2.^a p.*—Scepticus universalis dubium suum ad ipsam Dei existentiam extendit. Atqui nemini moraliter licet circa Dei existentiam serio dubitare: existentia enim Dei, obligatioque cultus illi tribuendi tanta evidentia omnibus ratione utentibus fulgent, ut nemo illas ignorare aut in dubium vocare possit, nisi graviter peccando contra dictamina rectæ rationis, validissimisque conscientiæ clamoribus temere resistendo. Ergo dubitatio universalis illicita moraliter est.

PROPOSITIO TERTIA.

Dubium universale metaphysice etiam repugnat.

353.—*Dem.* — Qui dubium universale propugnat, aut omnem certitudinem negat, aut eam in dubium reflexe vocat, aut dicit se ignorare utrum detur aliqua certitudo. Atqui nemo potest ullam certitudinem negare, aut reflexe in dubium vocare, aut dicere se illam ignorare, quin in ipsa sua negatione, reflexa dubitatione et reflexa ignorantia multas res tamquam certo veras implicite admittat (360-364), Ergo dubitatio universalis metaphysice etiam impossibilis est.

Difficultates.

354.—*Obj. I.* Ad vitandum errorem in judiciis optimum medium est abstinere se a iudicando; eo vel magis quod, experientia teste, sæpe ob levitatem nostram in varios errores incidimus. Ergo scepticismus non solum possibilis sed moraliter etiam honestus est.

Resp. 1.º—Retorqueo argumentum. Ad vitandos defectus visus, auditus, gustus, linguæ, etc., optimum medium est his organis numquam uti. Ergo prudentia dictabit ut numquam his organis utamur, si propter periculum quodvis errandi numquam omnino debemus ullum iudicium proferre. Hoc autem quam absurdum sit, nemo non videt. Prudentia enim non dictat absolutam privationem usus potentiarumstrarum, sed rectum ipsarum usum, licet forte aliquando per accidens male illis utamur. Præter quam quod, nonne ad hæc nobis objicienda sceptici iudicant?

Resp. 2.*—*Neg. ant.* Vitare enim omne iudicium nec possibile nec prudens est.

355.—Obj. II. Prudens est semper dubitare de veritate logica nostrorum conceptuum; intellectus enim noster natura sua fallibilis est ac proinde hæc fallibilitas in nullo actu suo illum deserit.

Resp.—*Neg. ant. Rationem vero additam sic distinguo*: Intellectus noster natura sua fallibilis est, *ita ut nonnisi aliquando et per accidens fallatur*; Conc.: *ita ut semper et per se in iudicia erronea incidat*, *Neg.* Fallibilitas nostro intellectui naturalis non refertur nisi ad casus anormales et accidentales; in quibus hæc potentia per influxum alicujus causæ extrinsecæ ab objecto suo accidentaliter abstrahitur. Sed cum hac fallibilitate bene cohærere potest infallibilitas ejus naturalis relate ad cæteros actus, in quibus nullum patitur impedimentum ex parte causarum externarum; et hanc infallibilitatem suam naturalem intellectus secum fert in omnibus actibus quos producit, non minus quam fallibilitatem prædictam.

356.—Obj. III. Defensor scepticismi universalis a nemine vinci potest; cum enim nihil certum admittat, nullo argumento certo convinci valet. Ergo scepticismus superior est dogmatismo, qui eum impugnat.

Resp.—*Trans. ant., nego consequentiam.* Ex eo enim quod scepticus absolutus a nemine argumentando vinci queat, nulla illi gloria prorsus accrescit. Nam hoc illi commune est cum ebriis, furiosis, amentibus, imo et cum belluis, arboribus et lapidibus; de quibus profecto nullam umquam victoriam reportabis. Argumentum propositum valeret, si cum sceptico disputari posset. Si autem cum illo nulla disputatio seria institui queat, quid mirum si numquam vincatur?

357.—Obj. IV. Cum mens errat, vel errorem suum cognoscit vel non. Si *primum*; ab omni errore vacat, cum error in habendo falsa pro veris consistat. Si *secundum*; semper suspicari poterimus de admissio errore in nostris judiciis et ratiociniis, cum error modo quodam insensibili in ea illabatur. Ergo tandem dubitatio universalis ab ipsa ratione dictatur.

Resp.—*Conc. maj., nego cons. ex secundo membro illatam.* Quando enim mens obscuras et confusas rerum ideas habet, errare quidem potest; secus vero, quando res clare ac distincte percipit. Porro in hoc secundo casu certissime illi constat se non errare, nulloque pacto de admissio errore suspicari licite posse. Ergo minime verum est nos *semper et ubique* de veritate nostrorum judiciorum dubitare debere.

ARTICULUS IV.

De influxu objectorum in certitudinem ac de objectivitate idearum.

358.—Kantius in *Critica rationis puræ* omnem objectorum in actus nostros intellectuales influxum abstulit. Ut enim id in Philosophia exequeretur, quod Copernicus in cosmographica scientia perfecerat; mundo reali penitus valedixit, seque in purum subjectivismum temere coniecit: quo rationi humanæ innatam virtutem dedit ideas suas cudendi absque ullo prorsus objectorum externorum influxu. Porro juxta hunc philosophum, humanæ mentis ideæ formæ quædam pure subjectivæ sunt, nullam omnino connexionem intrinsecam cum objectis realibus habentes; neque ad aliud quid inservire valent, quam ut mundum quemdam idealem et subjectivum interius nobis in animo effingamus. Utrum autem mundus hic idealis cum reali concordet, hoc juxta illius sententiam nos minime scire possumus: quippe qui ad hoc inquirendum solis ideis nostræ rationis uti possumus, quæ non sunt nisi quid pure subjectivum cum ob-

jectis externis minime connexum: unde mundum realem ut α quoddam habere oportet, nec de illo iudicium aliquod tuto ac certo pronuntiare licet.

359.—Ab hac Kantii doctrina non multum discrepant quæ Reidius, scotisticæ scholæ auctor, sæculo proxime elapso circa primas hominum cogitationes professus est. Opinatur enim mentem humanam iudicia omnia universalialia, per se atque immediate evidentia, cæce omnino et absque ulla determinatione ab objectis accepta, sponte naturæ efformare; ad eum modum quo corpora pondere suo naturali et omni cognitione destituto in centrum attractionis propelluntur. Porro propensionem mentis prædictam ad huiusmodi iudicia efformanda Reidiani *fidem* atque *instinctum cæcum* vocarunt: *fidem*, quia inducit mentem ad affirmandam veritatem, quam ipsa non videt; *instinctum*, quia per illam mens pondere suo propellitur ad iudicandum absque ulla determinatione ex parte objecti; denique *instinctum cæcum*, quia vi illius mens admittit tamquam certo vera iudicia prædicta cæce omnino et quin veritatem eorum percipiat.

360.—Exinde perspicue patet inter Kantium et Reidium hoc tantum discrimen dari; quod primus dubitandum esse affirmet de conformitate nostrorum conceptuum cum objectis externis; secundus vero hanc conformitatem asserat, licet a mente minime perceptam. Uterque enim statuit iudicia ordinis idealis ex fundo nostræ rationis emergere, sine ulla cognitione conformitatis eorundem cum ordine objectivo atque ob solum impulsu cæcum et spontaneum humanæ naturæ ad illa efformanda. Porro quam absurda et ruinosas sint huiusmodi placita sequentibus patebit.

PROPOSITIO PRIMA.

Objecta externa in humanæ rationis ideas veram causalitatem exercent.

361.—*Demonst.*—I.^o Intellectus noster ex se indifferens est ad intelligendum de facto unam rem potius

quam aliam. Ergo debet determinari ab objecto: quod proinde veram in suos actus causalitatem exercet. Antecedens patet. Nam si intellectus humanus ex intrinseca sua natura esset determinatus ad conceptum aliquem efformandum; conceptus hic perpetuo et indesinenter ex illo efflueret, ipsique sine ulla interruptione præsens esset; quod tamen non accidit, ut propria cuique experientia testatur.

Consequentia non minore claritate fulget. Nam si determinatio prædicta non proficisceretur ab objecto; tribuenda esset voluntati; ni dicamus Deum illam per se ac immediate in animo nostro producere, quod certe philosophicum non est. Voluntas autem nequit esse propria illius causa; quia ad volendum aliquid indiget cognitione illius prævia, ac proinde ante primam volitionem debet dari in humano intellectu aliquis conceptus a voluntate minime profectus.

2.^o Influxum objectorum in nostros actus intellectuales quotidiana ipsi experientia sentimus. Unusquisque enim experitur intellectum suum trahi ad cogitandum de singulis objectis per phantasmata imaginationis, imaginationem autem ad agendum determinari a sensibus, et hos rursus determinationem suam accipere ab objectis externis. Ergo clarissime patet objecta mundi realis veram in humanæ mentis actus, sive apprehensivos, sive judicativos, causalitatem exercere.

Difficultates.

362.—Obj. I. Ait Kant: Quod est finitum, mutabile et transitorium, nequit esse causa rei infinitæ atque immutabilis. Atqui res hujus mundi sunt finitæ, mutabiles et transitoria; ideæ autem nostræ sunt quid infinitum et immutabile. Ergo res externæ minime influunt in productionem nostrarum idearum.

Resp.—*Dist. maj.* Quod est finitum etc., nequit esse causa rei *omni ex parte* infinitæ atque immutabilis, Conc.; rei *aliqua tantum ex parte* infinitæ atque immutabilis, Neg. Pariter *dist. 2.^m part. minoris*. Ideæ nostræ sunt quid infinitum et immutabile *objective sumptæ*, seu prout repræsentant quasdam essentias universales et immutabiles, Trans.; *entitative spectatæ* et prout actus quidam sunt intelligentiæ humanæ, Neg. Sub hoc secundo aspectu ideæ nostræ realiter finitæ sunt atque mutabiles, et a causa finita produci queunt. Objectivam autem infinitudinem atque immobilitatem non accipiunt proprie a rebus externis in intellectum agentibus, sed ab ipsa natura intellectus; qui utpote spiritualis et incorruptibilis, actionem rerum sensibilibus spiritualiter et immaterialiter recipit, juxta illud principium. *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*; ac proinde objecta sensibilia *modo spirituali* seu universali et immutabili repræsentat. Sed de his fusius in Ontologia.

363.—Obj. II. Realitas objectorum externorum non dependet ex nostris ideis. Ergo ex eo quod nostræ ideæ repræsentent hoc vel illud objectum, minime sequitur illud esse reale et capax existendi extra nostrum intellectum.

Resp.—*Dist. ant.* Realitas objectorum externorum non dependet ex nostris ideis; *nostræ autem ideæ dependent ex realitate objectorum*, Conc. *Nec etiam nostræ ideæ dependent ex realitate objectorum*, Neg. Objecta, ut probatum est in thesi, in actus nostros cognoscitivos vere influunt; ac proinde ideæ mentis humanæ ex realitate objectorum externorum vere dependent sicut effectus a causa, et cum ipsis intimam connexionem habent.

364.—Obj. III. Reponunt Reidiani: Rudes, sola natura duce et absque ulla animi cultura, producunt

quædam judicia universalia, quæ stricta evidentia carent et tamen sunt basis et fundamentum cæterorum omnium. Ergo signum est judicia hæc a nobis sponte naturæ efformari, quin mens a veritate rerum objectiva determinetur.

Resp.—*Concedo antec. et nego consequ.* Judicia hæc sponte quidem naturæ a rudibus efformantur, *sed sub influxu realitatis objectivæ*, quæ ipsorum intelligentias luce sua intrinseca ad assensum inducit. Verum quidem est objecta horum judiciorum strictam evidentiam respectu rudium non præ se ferre; ast exhibent latam, et hæc plane sufficit ad veritatem rerum illis tuto manifestandam. Evidentia enim lata intellectum bene dispositum, sophisticisque scepticorum hominum rationibus minime corruptum, quales in rudibus communiter inveniri solent, facile permovet et ad verum sine ulla formidine amplectendum impellit.

365.—Obj. IV. Reponit Balmesius noster, Reidianorum vertigiis insistens: Ipsum principium evidentie non est evidens. *Evidens* enim idem sonat ac *clare perceptum*: *clare* autem *perceptum* minime dici potest esse idem ac *conforme rei extra intellectum positæ*. In notione namque apprehensionis claræ non continetur notio conformitatis cum objecto (1). Ergo

(1) En ipsa verba Balmesii: «Comienzo por asentar una proposicion, que parecerá la más extraña paradoja, pero que está muy lejos de serlo: *El principio de la evidencia no es evidente*. Demostracion. Este principio puesto en forma más sencilla es el que sigue: Lo evidente es verdadero. Yo digo que esta proposicion no es evidente. ¿Cuándo es evidente una proposicion? Cuando en la idea del sujeto vemos el predicado: esto no sucede aquí. Evidente es lo mismo que visto con claridad, que ofrecido al entendimiento de una manera muy luminosa.

ipsis veritatibus evidentibus adhæremus cæco quodam instinctu ducti, quin ipsas realiter percipiamus.

Resp.—*Neg. ant.* Ad argumentum autem, quod pro eo adducitur, respondeo imprimis negando prorsus in notione apprehensionis claræ non contineri notionem conformitatis cum objecto. Si enim nec ipsa apprehensio clara esset conformis objecto apprehenso, actum esset de omnibus apprehensionibus humanæ rationis et mens nostra esset prorsus incapax attingendi unquam objectum suum; quod minime admitti potest. Porro quomodocumque sumatur evidentia, sive *subjective*, sive *objective*; in essentia ejus semper involvitur notio veritatis. Si enim sumatur *subjective*; evidentia idem sonat ac *bona visio*, seu quod idem est, visio repræsentans objectum prout in se est. Si autem sumatur *objective*; nihil aliud significat nisi illam proprietatem objecti, qua redditur aptum ad producendam in intellectu nostro bonam sui visionem. Deinde hoc ipsum argumentum facile solvam negando suppositum, in quo tota illius vis sita est. Supponit scilicet Balmesius intellectum nostrum non apprehendere proprie res ipsas sed tantum illarum imagines ideales et subjectivas; illumque inter has solas imagines comparationem suam instituere, ut postea transitum faciat ex mundo pure ideali et subjectivo ad mundum realem

Verdadero es lo mismo que conformidad de la idea con el objeto. Pregunto yo ahora: ¿Por más que se analice esta idea «visto con claridad», se puede descubrir esta otra «conforme al objeto?» No: se da aquí un salto inmenso; se pasa de la subjetividad á la objetividad... se hace el tránsito de la idea al objeto, tránsito que constituye el problema más transcendental, más difícil, más oscuro de la filosofía (Bálmès, *Filos. fundam.* lib. 1. n. 221).»

et objectivum (1). Quod sane falsissimum est, ut ex sequentibus propositionibus patebit.

(1) Hanc esse Balmesii sententiam ex ipsis ejus verbis aperte constat. Ita enim scribit: «La evidencia inmediata es la percepcion de la identidad entre varios conceptos, que la fuerza analítica del entendimiento habia separado (Bálmès, *Filosof. fundam.*, lib. 1, cap. 24, n. 242).» «Hasta ahora no encontramos dificultad, porque se trata de la evidencia considerada subjetivamente, es decir, en cuanto se refiere á los conceptos puros; mas el entendimiento no se para en el concepto, sino que se extiende al objeto y dice, no sólo que ve la cosa, sino que la cosa es como él la ve. Así, el principio de contradiccion mirado en el orden puramente subjetivo, significa que el concepto del sér repugna al de no-sér, que le destruye, así como el concepto del no-sér destruye al de sér; significa que al esforzarnos en pensar juntamente estas dos cosas, queriéndolas hacer coexistir, se entabla en el fondo de nuestro espíritu una especie de lucha, que el entendimiento está condenado á presenciar sin esperanza de poner la paz entre los contendientes. Si nos limitamos á consignar este fenómeno, nada se nos puede objetar; lo experimentamos así y no hay más cuestion; pero al enunciar el principio queremos enunciar algo más que la incompatibilidad de los conceptos, trasladamos esta incompatibilidad á las cosas mismas, y aseguramos que á esta ley están sometidos, no sólo nuestros conceptos, sino todos los seres reales y posibles... Afirmamos pues la ley de la contradiccion, no sólo para nuestros conceptos, sino para las cosas mismas: *el entendimiento aplica á todo la ley que encuentra necesaria para sí*. ¿Con qué derecho? inconcuso, porque es la ley de la necesidad. ¿Con qué razon? con ninguna, porque tocamos al cimiento de la razon (Id. *ibid.* n. 245). Similia habet in *Philosophia elementaria*, Logicae numero 245; ubi fundamentum totius humanæ certitudinis reponit in irresistibili rationis instinctu.

PROPOSITIO SECUNDA.

Non modo formalismus kantianus, sed instinctus etiam reidianus ad scepticismum universalem recta ducit.

366.—*Prob. 1.^a p.*—Formalismus kantianus in hoc consistit, ut ideas mentis nostræ habeat tamquam repræsentationes pure subjectivas et ex fundo rationis humanæ profectas, quibus nihil certum respondet a parte rei. Atqui ex hac doctrina sequitur immediate scepticismus universalis. Ergo formalismus kantianus ad illum recta ducit.

Prob. min.—Hac doctrina admissa, dubitandum est de realitate objectiva, non modo mundi externi, sed interni etiam atque ipsius subjecti cogitantis. *De realitate mundi externi*: nam realitatem hanc ratio nostra non cognoscit nisi per suas ideas; ac proinde, si illis, utpote formis vacuis ac pure subjectivis, fidere non licet, circa realitatem mundi externi perpetuo dubitet necesse est. *De realitate mundi interni*, seu phænomenorum internorum ipsiusque subjecti cogitantis: nam hæc etiam phænomena et ipsum subjectum cogitans, ut per reflexionem psychologicam a philosopho quovis cognoscantur, idea aliqua repræsentari debent (35). Cui non magis credendum erit, quam alii cuilibet circa objectum aliud versanti; cum idea omnis, ex sententia Kantii, inter formas objecto reali vacuas et repræsentationes pure subjectivas reponenda sit. Ergo ex formalismo kantiano immediate sequitur scepticismus universalis.

367.—Nec dicat Kantius repræsentationes suas ideales semper exhiberi intellectui materiæ alicui concretæ inmixtas, quæ eas limitibus circumscribit et in

mundo reali collocat. Nam materia hæc juxta illius sententiam non est quid reale et objectivum extra subjectum ipsum existens, sed quid mere phænomenicum et subjectivum in subjecto cogitante repositum. Elementum enim materiale, cui immixtas esse ait Kantius ideas suas objecto vacuas, sunt phænomena sensuum pure subjectiva, quæ determinant ac limitant formas pure subjectivas sensibilitatis, seu *spatium* et *tempus*. Spatium namque et tempus in sententia Kantii formæ quædam subjectivæ sunt, intra quas omnia sensibilia ipsumque subjectum cogitans per conscientiam nobis manifestatum inclusa continentur (1).

367.—COROLLARIUM.—*Ergo admittenda est objectivitas idearum nostrarum. Dem.* Objectivitas idearum in hoc consistit, ut ideæ nostræ rationis non sint, generatim loquendo, repræsentationes quædam subjectivæ objecto extra ipsas posito plane destitutæ. Atqui ex nunc demonstratis dicere oportet ideas nostras non esse formas pure subjectivas, sed ordinarie versari circa objecta realia extra ipsas posita. Ergo admittenda est objectivitas ipsarum.

Dixi autem *generatim loquendo*: quia sunt quædam ideæ, quorum objectum nullibi existit nisi in ipsis ideis, quales sunt omnes *ideæ genericæ* et *specificæ*. Species enim et genera, ut talia, in solo intellectu existunt; atque idcirco *entia rationis* dicuntur. Hæc autem ipsa entia rationis, *ad instar entium realium* a nobis concepta, pro objectivitate nostrarum idearum aperte pugnant; cum imago quævis prototypum supponat.

368.—*Prob. 2.^a p.*—Doctrina instinctus cæci in hoc reponitur, ut mens nostra solas ideas suas subjectivas, prout repræsentationes quædam sunt, percipiat

(1) Cfr. Balmes, *Filosofia fundamental*, lib. 1, cap. 25, n. 255 et seqq.

atque ad invicem comparet; ex perspecta autem identitate aut non identitate repræsentativa harum idearum instinctu quodam cæco invincibiliter feratur ad asserendam identitatem aut non identitatem objectorum externorum, quam minime percipit. Atqui hoc, non secus ac subjectivismus kantianus, ad scepticismum recta ducit. Ergo etc. *Prob. min.* Posita doctrina prædicta, prudenter dubitare possumus de legitimitate transitus ex ordine pure subjectivo quem cognoscimus ad ordinem realem et objectivum quem minime percipimus. Nam conformitatem utriusque ordinis minime videmus, sed cæco quodam instinctu admittimus. Veracitas autem hujus instinctus minime nota est; cum instinctus hic ea testetur, quæ ipse non videt. Ergo...

369.—Nec dicas instinctum hunc esse irresistibilem et omnibus hominibus communem; ac proinde non nisi ad verum impellere posse. Nam: *a)* Si cæcus est, ipsi prudenter resistere possumus ac de ejus veracitate dubitare. *b)* Quod si aliquas veritates irresistibiliter admittimus; hoc ideo fit, quia ipsas clare percipimus et non instinctu cæco tenemus. *c)* Frustra antem recurrunt Reidiani ad communem hominum consensum; cum existentiam generis humani et communis consensus ipsius ex hoc solo instinctu cognoscant, cujus veracitas probanda est.

370.—Nec reponas cum Balmesio transitum ex idea ad objectum non posse nisi in instinctu prædicto fundari; cum mens extra ipsam egredi nequeat et omne quodcumque percipit, per ideas percipiat: quarum veracitas per alias ideas probari nequit, sed solo debet instinctu admitti (1).—Nam negamus prorsus

(1) «Cavilese, inquit Balmesius, cuanto se quiera, nunca saldremos de este círculo, siempre volveremos al mismo punto.

hujusmodi transitum dari; cum mens objecta mundi realis non percipiat *in* ideis sed *per* ideas immediate in se ipsis. Nec veracitas idearum nostrarum ulla probatione indiget; cum sit res per se ipsa evidentissima. Idem namque est ideas humanæ rationis esse veraces ac rationem humanam esse natura sua aptam ad attingendum objectum suum. Sed de hoc postea suo loco agemus (1).

PROPOSITIO TERTIA.

*Tum formalismus Kantii subjectivus, tum cæcus
Reidianorum instinctus omnem prorsus
scientiam pessumdant.*

371.—*Prob. 1.^a p.*—Formalismus kantianus nullum aliud cogitationibus nostris objectum relinquit præter phænomena, seu repræsentationes pure subjectivas et objectis realibus vacuas. Sed hoc faciens omnem prorsus scientiam evertit; siquidem omnis

El espíritu no puede pensar fuera de sí mismo; lo que conoce, lo conoce por medio de sus ideas; si estas le engañan, carece de medios para justificarse. Toda justificación, toda prueba debería emplear ideas, que á su vez necesitarían de nueva prueba y nueva justificación..... No creo que el hombre pueda señalar una razon satisfactoria en pró de la veracidad del criterio de la evidencia; no obstante de que le es imposible dejar de rendirse á ella. El enlace pues de la evidencia con la realidad, y por tanto el tránsito de la idea al objeto, es un hecho primitivo de nuestra naturaleza, una ley necesaria de nuestro entendimiento (Bálmes, *Filos. fundam.*, lib. 1, cap. 25, nn. 248-249).»

(1) Doctrinam hanc idealisticam Reidianorum multo ante Cartesium tenuit Cajetanus, ut videre est apud Suarez, *de anima*, lib. 3, cap. 5, n. 2 et seqq., qui eam validissime oppugnat.

scientia versatur circa *numena* seu res ipsas, non autem circa *phænomena* seu apparentias subjectivas rerum; quæ non sunt nisi quædam modificationes transitoriaë subjecti cogitantis. Ergo....

Ad rem Divus Thomas: «Quidam posuerunt, quod vires, quæ sunt in nobis cognoscitivæ, nihil cognoscunt nisi proprias passiones; puta, quod sensus non sentit nisi passionem sui organi. Et secundum hoc intellectus nihil intelligit nisi suam passionem, scilicet speciem intelligibilem in se receptam. Et secundum hoc species huiusmodi est ipsum quod intelligitur. Sed hæc opinio manifeste apparet falsa ex duobus. *Primo* quidem, quia eadem sunt, quæ intelligimus, et de quibus sunt scientiæ. Si igitur ea quæ intelligimus, essent solum species, quæ sunt in anima; sequeretur, quod scientiæ omnes non essent de rebus, quæ sunt extra animam, sed solum de speciebus intelligibilibus, quæ sunt in anima; sicut secundum Platonicos omnes scientiæ sunt de ideis, quas ponebant esse intellectas in actu. *Secundo*, etc. (1).»

372 --*Prob. 2.^a p.*--*Primo*, in sententia Reidianorum omnes scientiæ habent pro fundamento instinctum ab ipsis propugnatum. Sed instinctus hic ex præcedenti thesi ad scepticismum recta ducit ac proinde cum omni scientia pugnat. Ergo... *Deinde*, juxta Reidianos, mens nostra non percipit veritatem seu conformitatem nostrorum conceptuum cum objectis externis, sed cæce illam *credit* et instinctu admittit. Sed fides toto cælo distat a scientia. Ergo doctrina Reidianorum omnem prorsus scientiam evertit.

(1) S. Thom. *Sum. Theol.* 1. p. q. 85, art. 2.



CAPUT II.

De fontibus certitudinis.

373.—Fontes certitudinis dicuntur *media seu instrumenta illa, per quæ intellectui proponitur materia suorum judiciorum certorum atque infallibilium*. Proinde ut aliqua res fons certitudinis dici valeat, debet habere naturalem connexionem cum veritate. Quod in causa est, cur *naturalis nostra propensio ad judicandum* fons certitudinis non dicatur; quia ex se non magis connectitur cum iudicio vero quam cum falso.

374.—Porro horum fontium divisio ex diversa certitudine, ad quam unusquisque natura sua tendit, desumenda est; cum in ea finis illorum naturalis consistat, qui unicuique rei normam suarum operationum constituit (319). Cum ergo tres dentur species certitudinis, *metaphysica* nempe, *physica* ac *moralis*, totidem existant fontes certitudinis necesse est. De triplici hoc fonte triplici articulo separatim agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De fonte certitudinis metaphysicæ.

375.—Fons certitudinis metaphysicæ reponi nequit nisi in ideis nostris universalibus et abstractis; siquidem illæ solæ intellectui exhibent objectum a circumstantiis individuantibus præcisum, quale ad certitudinem metaphysicam requiritur. De his ergo ideis agentes, probabimus in primis illarum veracitatem, deinde vero conditiones ad hanc veracitatem requisitas assignabimus; quod totum distinctis duobus paragraphis conficiemus.

§ I. AN ADMITTENDA SIT VERACITAS IDEARUM.

376.—De objectivitate idearum jam supra actum est, ubi formalismus Kantii et instinctus reidianus contra illam pugnantes profligati sunt. (358-372). Nunc autem veracitatem ipsarum considerare oportet; quæ nihil aliud est quam *aptitudo illarum ad acquisitionem veritatis mediantibus judiciis certis et veris ad quæ infallibiliter conducunt*. Sint ergo propositiones sequentes.

PROPOSITIO PRIMA.

Veracitas idearum probari quidem nequit, sed probatione minime eget.

377.—*Prob. 1.^a p.*—Probari nequit illud, quod in quavis demonstratione supponi debet. Sed veracitas idearum in quavis demonstratione supponi debet; siquidem rectitudo ratiociniorum quiescit supra rectitudinem judiciorum, quæ rursus in veracitate idearum ad eadem impellentium fundatur. Ergo...

378.—*Prob. 2.^a p.*—Ideas nostras esse veraces tam clare patet, quam evidens est intellectum nostrum habere intrinsecam aptitudinem ad assequendum objectum suum; siquidem intellectus nonnisi per ideas veraces seu ad veritatis consecutionem conducentes obtinere illud potest. Atqui intellectum nostrum intrinseca aptitudine gaudere ad assequendum objectum suum evidentissime patet per se, neque ad hoc ostendendum ulla probatio requiritur (345) Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Dubitare de veracitate idearum idem est ac scepticismum universalem profiteri.

379.—*Demonst.*—Intellectus nequit ad veritatis ascensionem in suis judiciis et ratiociniis pervenire nisi ideis veracibus adjutus. Ergo revocare in dubium omnium idearum veracitatem idem est ac dubitare de veritate omnium judiciorum et ratiociniorum. Sed qui dubitat de veritate omnium judiciorum et ratiociniorum, eo ipso profitetur scepticismum universalem. Ergo...

PROPOSITIO TERTIA.

Qui negat, aut in dubium revocat, aut dicit se ignorare veracitatem suarum idearum, eo ipso eam implicite affirmat.

380.—*Demonst.*—Qui negat, aut in dubium revocat, aut asserit se ignorare certitudinem, eo ipso eam implicite affirmat (333 et seqq.). Atqui in hac affirmatione continetur etiam altera, de qua nunc agimus; siquidem impossibile est aliter quam per ideas veraces ad judicia certa pervenire. Ergo...

§ II. QUÆNAM CONDITIONES REQUIRANTUR AD VERACITATEM
ALICUJUS IDEÆ.

381.—Non omnes ideæ sunt veraces; siquidem aliquæ propter suam obscuritatem et imperfectionem ad judicia erronea nos inducunt. De qualitatibus ergo idearum veracium agere oportet; quod ut obtineamus, sequentes propositiones statuemus.

PROPOSITIO PRIMA.

*Omnis idea clara et distincta est infallibilis fons
certitudinis in judiciis et ratiociniis
analyticis efformandis.*

382.—*Demonst.*—1.^o Omnis idea clara et distincta ducit mentem ad efformanda judicia et ratiocinia objectis conformia: ergo est infallibilis fons certitudinis etc. Antecedens patet: tum quia idea clara et distincta confunditur cum evidenti, quæ est infallibiliter vera (365); tum etiam quia idea hujusmodi repræsentat menti objectum tali evidentia circumdatum, ut nequeat non illi sine ulla dubitatione assentiri, quod in solis judiciis veris accidere potest. Ergo...

2.^o Qui negat aliquam ideam claram et distinctam esse veracem, vel de ejus veracitate dubitat; eo ipso negat aut in dubium revocat veracitatem omnium idearum. Sed veracitas omnium idearum negari nequit aut in dubium vocari; quia hoc facientes incideremus in scepticismum universalem. Ergo omnis idea clara et distincta ut prorsus verax haberi debet. Major, in qua est difficultas, hoc modo ostenditur: Qui negat aut in dubium revocat veracitatem alicujus ideæ claræ ac distinctæ, eo ipso rejicit veracitatem idearum ejusdem generis: siquidem pro infirmo habet fundamentum, in quo veracitas cujuscunque ideæ claræ ac distinctæ quiescit, quod in perspicuitate perceptionis consistit. Sed nonnisi ideæ claræ ac distinctæ veraces esse possunt; quia cæteræ omnes, utpote obscuræ aut confusæ, ad falsum judicium ducere queunt. Ergo qui negat aut in dubium revocat veracitatem alicujus ideæ claræ ac distinctæ, eo ipso negat aut in dubium revocat veracitatem omnium idearum.

Difficultates.

383.—Obj. I. Ut certo cognoscamus conceptus nostros ad invicem comparatos inter se convenire aut discrepare, indigemus aliqua norma. Ergo sola idearum comparatio, licet claræ sint ac distinctæ, non sufficit ad videndum has ideas non fallere; ac proinde ideæ claræ ac distinctæ ex se solæ non sunt infallibilis certitudinis fons.

Resp.—*Dist. Antec.* Indigemus aliqua norma *cum ipsis conceptibus claris et distinctis identificata*; Conc.: *ab illis distincta*; Neg. Ideæ claræ ac distinctæ ipsæ sunt sibi norma suæ veracitatis atque infallibilitatis. Quando enim res clare ac distincte percipitur; tunc tota sua luce, absque ullo obstaculo impediēte, menti collustrata ostenditur: quæ proinde non potest non illam videre sicut in se est; ac simul agnoscere conceptum, quo illam apprehendit, esse prorsus verum seu illi conformem.

384.—Obj. II. Multi, cum res etiam absurdissimas proferunt, ad suas ideas claras et distinctas recurrunt, ut eas defendant. Ergo signum est hujusmodi ideas non ea infallibilitate constare, quæ illis tribuitur.

Resp.—1.º *Dist. ant. Et exinde manifestissime constat hujusmodi idearum veracitatem omnibus patere*; Conc. *Et hoc est signum illas non esse veraces*; Neg. Si omnes generatim non haberent ut certo veraces hujusmodi ideas; nullus prorsus recurreret ad aliquid ex illis probandum. Ergo signum est, totum genus humanum sine ulla dubitatione agnoscere ideas has esse rebus conformes, ac proinde illarum veracitatem esse omnibus notam.

Resp.—2.º *Dis. aliter ant. Et qui hæc faciunt, ideas tunc rerum claras et distinctas minime habent*; Conc.:

secus; Neg. Qui ita se gerunt, vel consulto mentiuntur fingendo evidentiam quam minime experiuntur; vel hallucinatione animi laborant, putantes se clare ac distincte percipere quod nonnisi obscure ac confuse apprehendunt. Porro si ideas suas tunc ad trutinam revocare velint; invenient profecto ipsas obscuras ac confusas esse. Obscuritas enim et claritas proprietates idearum sunt et non minus quam ipsæ ideæ cognosci queunt.

385.—Obj. III. Si idearum essentiam non bene cognoscimus, multo minus cognoscemus relationes inter ideas intercedentes. Atqui idearum essentiam ignoramus. Ergo relationem unius ideæ ad alteram nunquam certo cognoscere valemus; ac proinde scire non possumus utrum una idea conveniat alteri vel *secus*.

Resp.—*Dist. maj.* Si idearum essentiam *logicam* non bene cognoscimus, multo minus poterimus etc.; *Conc.* Si idearum essentiam *physicam* ignoramus, non poterimus relationes prædictas cognoscere; Neg. Deinde *distinguo minorem*. Idearum essentiam *physicam* ignoramus; *Trans.*: idearum essentiam *logicam*; Neg. Denique sub distinctionibus datis *nego consequentiam*. Ideas cognoscimus omnes ex qua parte relationem dicunt ad objecta per ea repræsentata: omnes enim scimus unamquamque illarum objectum suum apte repræsentare, quando clara et distincta est. Hoc vero sufficit ad videndum utrum objectum per unam ideam repræsentatum conveniat cum repræsentato per alteram vel ab eo discrepet. Quænam autem sit physica idearum natura; utrum nempe spiritualis sit vel *secus*, quomodo efformetur ab intellectu, etc., etc.; hoc cognoscere necessarium non est ad percipiendum valorem, ut ita dicam, repræsentativum uniuscujusque ideæ: sicut necessarium

non est, ad videndum consonantiam vel discrepantiam duarum imaginum, materiam ex qua unaquæque illarum constat, investigare.

PROPOSITIO SECUNDA.

Solæ ideæ claræ ac distinctæ veraces existunt.

386.—*Demonst.* Præter ideas claras ac distinctas non dantur nisi obscuræ et confusæ; idea enim omnis subjective considerata adæquate dividitur in claram et obscuram. Atqui nulla idea obscura et confusa est infallibilis fons certitudinis. Ergo solæ ideæ claræ ac distinctæ sunt veraces. *Prob. min.* Ideæ obscuræ ac confusæ non exhibent menti proprietates objecti, ita ut facile unam ab altera distinguamus (27). Sed quando menti non exhibetur objectum, ita ut proprietates illius facile ad invicem distinguat; tunc potest, mediante influxu voluntatis, trahi adtribuendam illi proprietatem, quæ ei vere non convenit, vel ad negandam aliquam quæ vere illi inest. Ergo nulla idea obscura et confusa etc.

387.—Optime ad rem P. Cuevas: «Quotiescumque sive judicantes, sive ratiocinantes, specie veri deludimur, subjecti et prædicati identitatem, quæ idem esse existimantur et non sunt, aut subjecti et prædicati non-identitatem, quæ idem non esse creduntur et sunt, absque errandi formidine affirmamus. Itaque in primo casu obscuram plerumque, sive subjecti sive prædicati, perceptionem habemus; quippe qui alterum ab altero secernere nescimus: in secundo vero aliqua nos latet proprietas, sive subjecti, sive prædicati, quam in alterutro apprime percipimus; atque ob hanc proprietatem, quam alteri inesse videmus, alteri vero inesse minime cognoscimus, utriusque non-identitatem asserimus: unde totus manat error ex confusa perceptione, sive subjecti, sive prædicati. Quæ quidem ut exemplis illustrentur, sit perlucidi crystalli fragmen, quod intuens assero

esse adamantem: obscure admodum percipio adamantem, quem a crystalli fragmine non secerno; quod secus accideret, si et adamantis duritiem majorem quam crystalli, et diversam chæmicam molecularum coagmentationem perspectam haberem (1).»

ARTICULUS II.

De fontibus certitudinis physicæ.

Fontes certitudinis physicæ tres numerantur, scilicet, *sensus intimus*, *sensus externi* et *sensus interni*. De illis singillatim distinctis paragraphis agemus.

§ I. AN SENSUS INTIMUS SIT FONS CERTITUDINIS PHYSICÆ.

388.—Sensus intimus, qui etiam *conscientia directa* ab aliquibus vocari solet, et *ut facultas* et *ut actus* spectari potest. Primo modo consideratus est *quædam dispositio subjectiva entis cognoscitivi, qua hoc ad sentiendas seu experiendas proprias ipsius affectiones in ratione phænomenorum seu factorum internorum necessario determinatur*. Consideratus vero secundo modo est *ipsa experientia harum affectionum*. Porro cum actus *videndi* florem ex. gr., *olfaciendi* illius odorem, *contemplandi* ejus pulchritudinem etc., in meis potentiis producuntur ac recipiuntur, non ego eos pure mechanice ac mortuo modo recipio, sed vitaliter atque illorum præsentiam experiendo. Vivens enim cum sim, vitaliter omnia recipere debeo juxta illud axioma: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*. Dispositio ergo hæc habitualiter in me existens ad omnes meas actiones et passionem in me ut præsentem experiendas dicitur *facultas sensus intimi*; ipsa vero experientia illarum actualis et transitoria *actus sensus intimi* appellatur.

(1) Cuevas, *Philos. rudimenta*. Logica, n. 16,

389.—Experientia hæc non est actus realiter distinctus ab actione vel passione per eam expertis; sed ipsa actio vel passio, quatenus nobis præsentis et in potentiis nostris vitaliter receptæ. Ens enim cognoscitivum ipso actu, quo aliquid percipit ac vult, quatenus vitaliter in eo recepto, experitur se percipere ac velle.

390.—Si illam ab ipsis actibus per eam expertis, ut quibusdam placet (1), realiter distinguamus; in hoc absurdum necessario incidemus, ut ad experiendam præsentiam unius actus infiniti actus per sensum intimum eliciendi essent. Actus enim sensus intimi, quo potentia experitur alios in nobis existentes, non minus realiter nec minus vitaliter quam alii quicumque in nobis reciperentur; ac proinde determinaret necessario potentiam hanc ad producendum alterum actum, quo experientiam suam perciperet, et hic determinaret illam ad alterum, et hic ad alterum, sine numero; quod sane admitti nequit.

391.—Ratio quæ adversarios ad aliter sentiendum movet, in eo præcipue fundatur; quod experientia sensus intimi sit perceptio proprie dicta. Verum hoc ipsis minime concedendum est. Experiendi enim actus non habet pro objecto rem aliquam a se ipso distinctam; quod perceptionibus proprie dictis minime accidit. Porro omnis actus, quatenus vitalis et vitaliter receptus, reflexionem quandam virtualement in se continet, qua absque ullo alio animæ præsens experimentaliter sistitur; atque hæc experientia minus proprie dicta cognitio est. «Notandum est, inquit Suarez, quod actus cognoscendi dupliciter potest cognosci, uno modo proprie tamquam objectum alterius actus, cognoscendo videlicet ipsam cognitionem. Alio modo minus proprie dici potest cognosci actus quasi in actu exercito, non per alium actum, sed per ipsummet. Nam quia visio, v. gr., est vitalis actio cognoscitiva, ideo per illam formaliter in actu exercito videmus nos videre; non autem quia reflexionem formalem faciamus, sed virtualement, quasi dum actu videmus, experiendo nos videre (2).»

(1) Cuevas, *Philos. rudim.*—*Ppsychol.* n. 43.

(2) Suarez, *De anima*, lib. 3, cap. 11, n. 1. Eodem modo se exprimit P. Losada (*Cursus philos.* parte 3.^a *de anima*, disp. 5,

392.—Ex dictis circa naturam sensus intimi duo sequuntur consecretaria. *Primum* est, facultatem sensus intimi non distinguí realiter a collectivitate omnium potentiarum cognoscitivarum et appetitivarum, quarum actus experimentaliter in illis recipiuntur; siquidem actus facultatis prædictæ non sunt nisi ipsi actus harum potentiarum, quatenus ob reflexionem virtutalem in se contentam se ipsis animæ præsentés fiunt. Nec contra hoc objici potest actus appetitivos non posse hanc experientiam in se ipsis involvere; nam ipsi etiam vitaliter atque experimentaliter in subjecto appetente recipiuntur. *Secundum* est, omnes actus potentiarum, tam cognoscitivarum, quam appetitivarum, per facultatem sensus intimi magis vel minus intense ab animali et homine sentiri. Nam, ut recte arguit Suarez (1), omnis cognitio, (idem dicatur de appetitione), fit per vitalem attentionem et immutationem ipsius potentiæ: ergo dum potentia cognoscit objectum extrinsecum, a tali cognitione immutatur, et in actu exercito quodammodo experitur se cognoscere.

393.—Contra hoc secundum arguit in hunc modum P. Cuevas: «Profecto plures cogitationes in anima existere, quarum consensu non semper sumus, suadent non pauca experimenta, quorum unum et alterum seligimus. Si quis diuturno crucia-

cap. 5. n. 147); ubi loquendo de actibus cognoscitivis brutorum, hæc scribit: «Reflexio hic accipitur pro cognitione proprii actus; potestque sumi vel exerceite vel signate. Sumpta exerceite, nihil est aliud quam experientia sui; quatenus visio v. gr., dum actu existit, per se ipsam absque alia reflexione reddit potentiam formaliter experientem se videre atque id sentientem in actu exercito, *tametsi visionem non videat more objecti*: et hoc modo utique improprio quævis sensatio est sensatio sui et quivis sensus sentit se sentire, ut omnes concedunt. Sumpta vero signate reflexio est cognitio, qua quis pro objecto respicit proprium actum de linea intentionali. Quod si respiciat actum ejusdem potentiæ, reflexio proprie talis erit; impropria vero, seu minus propria, si respiciat actum, proprium quidem ejusdem suppositi, sed alterius potentiæ.»

(1) Suarez, *loc. cit.* n. 5.

tur dolere, arcesito somno, quærit solatium; nec interea omnis doloris sensatio ab anima exulare credenda est; siquidem ejus causa, corpore sopito, perdurat gemituque ac singultibus internus dolor proditur. Ergo si somno doloris morsus retunditur, id inde fit quod ejusdem conscii non sumus. Noctambulis quoque accidere solet; quod eas exerceant actiones; quæ usum sensuum requirunt: conscientiæ vero eorum, quæ agunt, nullum apparet vestigium; nec postquam somnum excusserunt, quid ex antea actis memoria retinent (1).»

394.—Verum hujusmodi argumenta facilem prorsus solutionem habent. Nam ad primum quod attinet, gemitus et singultus apertissime ostendunt prædictum hominem, licet somno sepultum, dolorem quo premitur vere in se sentire. Deinde quod de somnambulis additur, pari ratione solvitur; hujusmodi enim homines carent quidem cognitione *reflexa* suorum actuum, minime autem *directa* in ipsis imbibita, ut ex modo se gerendi in his, quæ agunt aut patiuntur, apertissime elucet.

395.—Explicata jam natura sensus intimi, ad declarandum ejus objectum gradum faciamus. Atque imprimis objectum illius sunt omnes actiones et passionες ad vitam cognoscitivam et appetitivam dertinentes, ut *visio*, *auditio*, *contemplatio mentis*, *desiderium voluntatis*, *dolor membrorum*, *perceptio sensibilis frigoris* aut *caloris*, *fames*, *voluptas*, etc.; omnia enim hæc ad vitam cognoscitivam spectant et ideo experimentaliter in nobis recipiuntur. Deinde, non solum hujusmodi affectiones, sed ipsum etiam subjectum illarum intra objectum sensus intimi computandum est. Affectiones enim has sentimus, non in abstracto seu præcisas a subjecto cui insunt, sed in concreto et ut unum quid cum subjecto illarum constituentes: ac proinde et affectiones subjecti et subjectum ipsum immediate in se ipsis experimur: affectiones quidem ratione sui ipsarum et tamquam

(1) Cuevas, *Psychologia*, n. 44.

objectum formale; subjectum vero ratione affecto-
num, quibus afficitur, et tamquam objectum mate-
riale (320). Accidit nempe sensui intimo quod sensi-
bus nostris externis contingere videmus: sicut enim
oculis, v. gr. non *colorem abstractum* a suo subjecto,
sed *rem coloratam* cernimus; ita etiam sensu intimo,
non cogitationes nostras a nobis mente præcisas, sed
nos ipsos cogitantes experimur.

396. — Atque hinc fit ut indesinenter et sine ulla intermissione
nosmetipsos existentes necessario sentiamus. Omnibus enim
momentis vitæ nostræ aliqua agimus vel patimur, quæ expe-
rimentaliter in nobis recipiuntur. Hæc tamen experientia
sensus intimi per se sola obscuram tantummodo nostræ exis-
tentiae nobis cognitionem suppeditat; cum subjectum a suis
affectionibus non distinguat, sed complexum utrorumque
per modum unius cuiusdam concreti exhibeat. Ad cognitionem
claram nostræ existentiae acquirendam *reflexio quædam psycho-*
logica et voluntaria super actus requiritur (35); quæ *conscientia*
reflexa vocari solet, quaque cogitationes nostras a nobis ipsis
illas elicientibus secernimus.

397. — Dicitur conscientia reflexa vel simpliciter con-
scientia *actus ille mentis nostræ reflexus, quo per sensum*
intimum seu conscientiam directam excitati, in cogita-
tionibus nostras attentionem libere convertimus, nosque
cogitantes clare apprehendimus. In hac reflexione modi-
ficationes animi nostri pro objecto sumimus, illasque
tamquam animo nostro insidentes et ab illo emanan-
tes clare cernimus: unde non illarum modo sed
nostri etiam subjecti cogitantis existentiam mente
percipimus; cum impossibile sit illas *ut animo insiden-*
tes apprehendere, quin simul etiam ipsum animum
per eas affectum apprehendamus.

His præmissis, quæ ad eracitatem sensus intimi ostem-
dendam necessaria videbantur, ad rei nostræ propositum ve-
niamus.

PROPOSITIO PRIMA.

Veracitas sensus intimi est conditio essentialis ad omnes certitudinis species.

398.—*Demonst.*—Omnis certitudo, sive metaphysica, sive physica, sive moralis, est *factum quoddam psychologikum* per sensum intimum nobis renunciatum. Sed ni hoc testimonium pro veraci atque infallibili habeamus, facta omnia psychologica nobis dubia prorsus reddentur. Ergo ad omnem certitudinem veracitas sensus intimi ut certa omnino supponenda est; ac proinde hæc veracitas est conditio essentialis ad omnes species certitudinis.

PROPOSITIO SECUNDA.

Non potest negari, nec in dubium vocari, nec reflexe ignorari veracitas sensus intimi, quin in ipsis actibus sive negationis, sive dubitationis, sive ignorantiae implicite supponatur.

399.—*Demonst.*—Nemo negare valet, aut in dubium vocare, aut reflexe ignorare veracitatem sensus intimi absque aliquo iudicio hanc negationem, aut dubitationem, aut ignorantiam exprimente. Sed hoc iudicium veracitatem sensus prædicti implicite supponit. Nam in omni actu negandi, reflexe dubitandi ac reflexe ignorandi multa ut certo vera implicite supponuntur (333-335); veracitas autem sensus intimi, ut ex numero præcedente constat, est conditio essentialis ad omnem certitudinem. Ergo etc.

PROPOSITIO TERTIA.

*Qui negaret, vel in dubium vocaret veracitatem
sensus intimi, vel se illam ignorare assereret, eo ipso
incideret in scepticismum universalem.*

400.—*Demonst.*—Qui aliquid horum faceret, eo ipso negaret, aut in dubium revocaret existentiam omnis certitudinis, aut se illam ignorare assereret; siquidem veracitas sensus intimi, ut ex prima thesi habetur, est conditio essentialis ad possibilitatem cujuscumque certitudinis. Sed qui omnem certitudinem negat, aut in dubium revocat, aut se illam ignorare asserit; eo ipso incidit in scepticismum universalem. Ergo etc.

PROPOSITIO QUARTA.

*Veracitas sensus intimis circa judicia immediata
conscientiæ demonstrari nequit; sed nec demonstratione
indiget, utpote patens per se.*

401.—*Prob. 1.^a p.*—Veracitas sensus intimi demonstrari nequit, quin supponatur in ipsa demonstratio ne. Nam in omni demonstratione supponitur ut certa possibilitas illius ac proinde veracitas etiam sensus intimi; quæ est conditio essentialis ad ipsam. Sed quod in aliqua demonstratione ut certo supponi debet, non potest per eam demonstrari: quia demonstratio procedit ex cognitis ad incognita; ad proinde ex se supponit esse incognitam rem per eam demonstrandam. Ergo etc.

402.—*Prob. 2.^a p.*—I.^o Res per sensum intimum nobis renunciata est modificatio quædam subjectiva

nostri subjecti cogitantis. Atqui manifeste repugnat ut hæc modificatio in subjecto cogitante non existat eo tempore, quo ejus existentia per sensum intimum nobis renuntiatur; tum quia renuntiatio alicujus phænomeni subjectivi per sensum intimum facta est ipsum phænomenum, quatenus subjecto cogitanti experimentaliter præsens; tum etiam quia, quamvis ab ipso phænomeno distingueretur, manifeste tamen verax esset; cum evidenter repugnet experientia alicujus rei, quæ præsens eam experienti non existit. Ergo clarissime patet sensum intimum omnino veracem existere in testificanda præsentia phænomenorum subjectivorum, quorum existentiam asserimus per judicia immediata conscientiæ. 2.^o Sensus intimus, experiendo aliquod phænomenum subjectivum, ita exhibet menti hoc ipsum phænomenum, ut hæc ope reflexionis psychologicæ clare ac distincte illud apprehendat. Atqui judicium conscientiæ hanc reflexionem subsequens et phænomeni prædicti præsentiam sine ulla ratiocinatione affirmans nequit non esse verum; nam per illud nihil facimus nisi affirmare id ipsum quod per reflexionem psychologicam in animo clare atque evidenter visum fuerat. Ergo sensus intimus est evidenter verax relate ad judicia immediata conscientiæ, ad quæ ipse inducit.

403.—Dicimus *circa judicia immediata*: nam alia, quæ ex his mediante ratiocinio derivantur, jam judicia conscientiæ non sunt sed rationis. Nec ad ea impellit sensus intimus sed motivum aliquod a ratione excogitatum; quod quidem potest ad verum aut falsum inducere, secundum quod fuerit distincte vel confuse apprehensum.

Difficultates.

404.—Sensus intimus aliquando ad judicia falsa inducit. Ergo non est infallibilis fons veritatis. *Prob. ant.* Nam 1.^o Amentes sæpe sentiunt affectiones, quas minime habent; ut cum se cogitant reges, gallos, aut mortuos, aut vitreos, etc. 2.^o Somniantibus similia his accidere solent. 3.^o Hi, quibus membrum aliquod amputatum est, experiuntur aliquando dolorem in parte amputata, quasi corpori ipsorum conjuncta persisteret. 4.^o His, qui sano judicio pollent et nulla ægritudine laborant, contingit sæpe ut interiores suos affectus ignorent, vel unum cum altero confundant, vel de existentia alicujus dubitent, etc. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.* Ad prob. 1.^{am} *neg. assertum.* Amentes enim minime sentiunt affectiones, quæ in illis non existunt, sed quas vere ac realiter habent. Imaginatione namque se fingunt reges, gallos, mortuos, vitreos, etc.; et intellectu erronee judicant se tales esse, quales imaginatio sibi eos repræsentat. Jam vero sensus intimus non testatur nisi existentiam harum repræsentationum et judicii erronei illas subsequentis; ac proinde vera renuntiat.

Ad prob. 2.^{am} eadem esto responsio: nam sensus intimus in somniantibus refert existentiam actuum imaginationis atque intellectus non secus atque in amentibus.

Ad prob. 3.^{am} *neg. assert.* Hi enim, de quibus sermo est in objectione, non experiuntur dolorem in parte amputata, sed *existimant* se in illa parte eum experi-ri; et hanc falsam intellectus existimationem veraciter testatur sensus intimus. Nec ad talem errorem inducitur intellectus a sensu intimo sed a phantasia; quæ, ob similitudinem sensationis novæ cum anti-



qua, res intellectui repræsentat, tamquam si membrum illud amputatum non fuisset.

Ad prob. 4.^{am} *neg. cons.* Nam ignorantia, error et dubium, de quibus sermo est in objectione, non sensus intimi, sed intellectus opera sunt non valentis objectum aliquod clare ac distincte cognoscere. Porro ad sensum intimum minime spectat *de natura actuum nostrorum*, aut de relatione ipsorum ad objecta vel ad alias res quascumque nobis aliquid referre; sed ejus munus est internas animi nostri affectiones, quatenus subjectivæ sunt, nobis renuntiare. Hoc autem fideliter sensus intimus adimplet, etiam in casu proposito: ignoranti enim naturam suorum affectuum, aut erranti vel dubitanti circa illam, hanc suam ignorantiam, errorem ac dubium fidelitate maxima testatur.

§ II. AN SENSUS EXTERNI SINT FONTES CERTITUDINIS PHYSICÆ.

405.—Nomine *sensuum* intelligimus *potentias sensitivas, quæ hominibus et brutis communes existunt*. Porro hujusmodi potentiæ actiones suas exercent per quasdam corporis partes, quæ *organa sensoria* vocantur. Dicitur organum *quælibet pars corporis viventis apta ad exercendas quasdam actiones vitales ratione suæ particularis structuræ*. Si actiones hæ sunt *perceptivæ*; vocantur *sensationes*, organaque ad illas producendas destinata dicuntur *sensoria*.

406.—Sensus dividuntur in *externos* et *internos*. Externis percipimus res materiales hujus mundi ad spectabilis extra nos positas, externamque nostri corporis superficiem: internis vero perceptiones sensuum externorum, objectaque ipsa circa quæ perceptiones istæ versantur. Sensus externi sunt quinque, scilicet, *visus, auditus, gustus, odoratus et tactus*: in-

terni autem quatuor; *sensus* nempe *communis*, *imaginatio* seu *phantasia*, *æstimatoria* et *memoria*. De inter-
nis sequente in paragrapho agemus, præsens autem
solos externos complectetur.

407.—Objectum circa quod *sensus* externi versan-
tur, aliud *proprium*, aliud *commune* est; aliud etiam
proximum, aliud vero *remotum*. *Proprium* dicitur il-
lud, quod ab uno tantum sensu percipitur. Sic objectum
proprium visus sunt *lux* et *colores*, quia hac sola pot-
entia percipiuntur: et similiter in cæteris sensibus
objectum *proprium* auditus sunt *soni*, gustus vero
sapores, odoratus *odores*, tactus denique *resistentia*
corporum atque illorum *temperatura*. E contra com-
mune est illud, quod a pluribus sensibus attingitur. Sic
extensio et *figura*, *motus* et *quies* per visum et tactum
a nobis percipiuntur. *Proprium formale* etiam appel-
latur, quia propter se attingitur; commune autem
dicitur *materiale*, quia attingitur propter proprium.
Sic *lux* v. gr. attingitur a visu propter ipsam, exten-
sio vero propter lucem.

Deinde objectum *proximum* illud dicitur, quod im-
mediate et in se ipso percipitur a sensibus: *remotum*
vero est illud, quod mediate percipitur et in objecto
proximo. Sic *visus* ex. gr. immediate et in se ipsa
percipit *extensionem* *materialem*, quæ proinde obje-
ctum illius *proximum* vocari debet: *substantias* vero
extensas non attingit nisi mediante *extensione* in illis
existente, unde *substantiæ* ad objectum *remotum*
sensuum *externorum* spectant. Objectum *mediatum*
objectum per accidens seu *accidentale* dici etiam solet:
quia relate ad *visum* v. gr. per *accidens* prorsus est,
ut res percipienda sit *paries*, vel *homo*, vel *animal*;
cum ipse proprie ac per se non versetur nisi circa *co-
loratum*, quodcumque sit et cujuscumque naturæ
existat. Minime autem negandum est *sensus* remote saltem

et mediate percipere substantias: quia qualitates corporum non percipiunt in abstracto sed in concreto; ac proinde *visus* v. gr. non percipit proprie *albedinem* sed *album* seu *subjectum albedinis*.

408.—Ad hoc ut sensus suos actus producant, debent ab objectis excitari seu determinari ad actionem, cum ipsi ex se indifferentes sint ad producendam: hanc potius actionem quam aliam. Hinc illud axioma *Ab objecto et potentia paritur notitia*: quo indicatur non solum potentiam sed objectum etiam in productionem actus concurrere. Concursum autem hunc præbent objecta exteriora agendo in organa sensuum; nam actio sua *mechanica* et *mortua* vitaliter recipitur a sensu seu organo vivo, juxta illud principium: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*. Unde objecta lucida ex. gr. agunt in visum, immitendo in oculi retinam per aerem intermedium lucem et colores: et sic de cæteris.

409.—Circa veracitatem sensuum duo extiterunt errores inter se oppositi. Epicurei namque sensus veraces *semper* esse opinati sunt: unde solem sesquipedalem putaverunt, quia talis nobis renuntiatur a sensibus. Sceptici e contra *numquam* esse fidendum sensibus proclamant, ac proinde eorum veracitatem penitus de medio tollunt. Inter hos ultimos Berkeley, Kant, Fichte et Malebranchius ipse annumerandi sunt. Porro Berkeley sæculo proxime elapso opinatus est repræsentationes corporum esse pure subjectivas atque a Deo vel ab aliquo spiritu in nobis causatas, quin aliquid reale ex parte mundi externi ipsis respondeat. Malebranchius mundi quidem hujus existentiam nobis constare asseruit, non autem ex sensuum testimonio sed ex divina revelatione. Kantius, omnes nostros conceptus duobus elementis, altero *a priori* et *experimentaliter* altero, constare opinatus, horum primum e fundo nostræ rationis sponte sua emergere et solas leges cogitandi objectis vacuas continere dixit: secundum ad experientiam externam detulit, sed ipsam hanc experientiam pure phænomenicam constituendo; repræsentationes sensuum inter res pure subjectivas collocavit. Spatium enim et tempus *formas pure subjectivas* posuit et intra has formas corpora omnia seu objectum experientiæ ex-

ternæ nobis exhiberi putavit (366). Denique Fichte elementum experimentale a Kantio admissum de medio sustulit atque ex *Ego puro* et supra omnem experientiam constituto cuncta profluere affirmavit. Huic *Ego puro* vim concessit libere et pro suo lubitu ponendi extra se quidquid finitum ac concretum nobis apparet; sed totum hoc finitum et concretum subjectivum et pure phænomenicum esse affirmavit, suumque *Ego purum* nonnisi ad phantasmata et somnia fingenda aptum existimavit.

His breviter delibatis, ad rei veritatem aperiendam veniamus.

PROPOSITIO PRIMA.

Sensus externi minime nos fallunt in referenda existentia hujus mundi materialis atque extensi.

410.—*Demonst.*—1.^o Nihil clarius et evidentius nobis exhibetur quam existentia hujus mundi adspectabilis et extensi, quem per sensus percipimus; ut quisque in se ipso experiri potest. Ergo, si non obstante hac evidentia et claritate, de reali et objectiva existentia hujus mundi dubitamus, dubitare pariter debemus de reali veracitate idearum. Atqui hæc in dubium revocari nequit (377-379). Ergo.....

2.^o Qui veracitatem sensuum externorum absolute negat vel in dubium revocat, pari ratione negare debet aut in dubium revocare veracitatem alterius facultatis cujuscumque; quia omnes nobis datæ sunt a natura et habent eandem propensionem ad suum proprium objectum. Sed nemo negare potest aut in dubium revocare veracitatem omnium facultatum suarum, quia eo ipso incideret in scepticismum universalem. Ergo.....

3.^o Perceptiones sensuum externorum non sunt representationes pure subjectivæ, ut Idealistæ contendunt, sed actus quibus directe et in se ipsis percipimus substantias materiales mundi externi. Ergo

minime nos fallunt in referenda nobis existentia hujus mundi adspectabilis et extensi. Consequentia patet: antecedens vero probatur hac clarissima ratione. Nam, texte sensu intimo, datur in nobis duplex experientia, alia nempe *externa* et alia *interna*. Atqui, si sensibus externis non perciperemus objecta extensa extra nos posita, non daretur in nobis nisi experientia interna; quia tunc omnis experientia nostra versaretur circa objecta intra nos posita seu mere interna. Ergo.....

4.^o Causa harum repræsentationum, quibus mundus tamquam realis atque extra nos positus exhibetur, vel est mundus ipse, vel spontaneitas naturæ humanæ, vel Deus, vel denique aliquis spiritus invisibilis. Sed quidquid horum dicatur; necessario asserendum est existere realiter extra nos hunc mundum extensum, quem sensus externi renuntiant. Ergo.....
Prob. min. Nam si *primum* eligatur; manifestum est corpora hujus mundi existere, quia ad physice causandum requiritur existentia. Si *secundum*; spontaneitas humanæ naturæ non potest inclinare ad errorem: ac proinde judicium, quo mundi hujus adspectabilis atque extra nos positi existentiam affirmamus, debet esse verum. Si *tertium*; hoc ipsum asserendum est; quia Deus, utpote sanctissimus et summe verax, non potest per se in nobis producere judicium falsum. Si *quartum*; pari ratione discurrendum est; quia spiritus hic, cujuscumque naturæ existat, non potest a Deo permitti ut nos in errorem invincibilem et necessarium inducat, qualis est hic de existentia reali hujus mundi extensi; præsertim cum non unus vel alter homo, sed totum genus humanum, in hunc errorem invincibilem ac necessarium induceretur. Ergo.....

Difficultates.

411.—Obj. I. Sensus sunt fallibiles ac fallaces: ergo semper possumus dubitare de illorum veracitate.

Resp.—1.^o *Retorqueo argum.* Ratio etiam est fallibilis ac fallax: ergo semper poterimus dubitare de illius veracitate, ac proinde absolutus pyrrhonismus statuendus erit, quod falsissimum est.

Resp.—2.^o *Dist. ant.* Sensus sunt fallibiles ac fallaces, quando non sunt rite applicati objecto suo; Conc.: quando sunt rite applicati; ita ut objectum evidenter eis monstretur et sine ullo impediēte obstaculo in illos agat, Neg. Quando objectum evidenter apparet et sine ullo obstaculo in potentiam cognoscitivam agit: tunc hæc, quæcumque sit, sive sensitiva, sive intellectiva, necessario ab illo trahitur, ac proinde non potest non illud attingere.

412.—Obj. II. Sensationibus nihil aliud percipimus nisi internas nostras modificationes; quia anima non potest extra se ipsam exire, ut se exteriori alicui objecto conjungat. Ergo nihil certo scire possumus de existentia corporum extra nos positorum.

Resp.—1.^o *Trans. ant., neg. cons.* Quia, ut ex probatis in ultimo argumento propositionis constat, quomodocumque intelligantur sensationes, semper ex consideratione ipsarum concludendum est hujus mundi existentiam realem esse; quia secus natura vel Deus in necessarium nos errorem inducerent, quorum neutrum admitti potest.

Resp.—2.^o *Neg. ant.* Nec ratio allata ad illud probandum aliquid valet; quia ut per sensationem objecta externa directe in se ipsis percipiamus, non necesse habet anima extra se ipsam *physice* exire; sed sufficit ut se *intentionaliter* objecto externo uniat mediante suo actu perceptivo.

413.—Obj. III. Dubitare rationabiliter possumus, ne forte aliquis spiritus nobis illudat, immittendo in animum nostrum repræsentationem hujus mundi adspectabilis, qui non existat extra nos. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.* Ob rationes allatas præsertim in quarto argumento. Potest quidem Deus *per miraculum* facere *in aliquo casu particulari*, ut non existente extra me objecto aliquo materiali v. gr. *Petro*, illud tamen quasi præsens videam; quia Deus potest, per semetipsum movere organa sensuum eodem prorsus modo atque objectum illud, si existeret. Sed minime efficere valet aut permittere, ut *semper in necessarium atque indeclinabilem* errorem inducar, judicando existere extra me mundum, qui non existit. Hoc enim manifeste sanctitati, sapientiæque illius repugnat; præsertim cum non ego solus, sed totum etiam genus humanum inter ineptissimas præstigias ob hanc causam necessario et indeclinabiliter versaremur.

414.—Obj. IV. Ne nostri quidem ipsius corporis existentiam certo cognoscere possumus; cum amentes *gallos, vitreos, alalos*, etc. se putent, cum ægroti etiam in parte corporis jam amputata dolorem sentiant. Ergo multo minus certi per rationem esse poterimus de existentia hujus mundi extensi extra nos positi.

Resp.—*Neg. ant.* Nam nostri corporis existentiam manifestissime per sensum intimum experimur. Nec aliquid probant rationes in contrarium adductæ. Nam: *a)* Error amentium et ægrotorum, in quo fundantur, non sensui intimo, sed imaginationi tribui debet, facile ad errorem proclivi. *b)* Præter quam quod amentes etiam et ægroti satis clare testantur suis ipsis judiciis erroneis se præsentiam sui corporis in se sentire: qui enim se existimat *vitreum* aut *ala-*

tum, sese extensum abs dubio experitur. c) Quod etiam dicendum de eo, qui putat se dolorem sentire in parte corporis jam amputata. d) Denique, quidquid dicatur de ægrotis et amentibus, nihil prorsus ex illis inferre licet pro universo genere humano; quod semper et sine ulla ægritudine aut amentia experitur præsentiam mundi hujus extensi. e) Atque hoc etiam valet contra id, quod inter somniandum nobis accidere solet: tunc enim phantasia, non secus atque in amentia aut ægritudine, sibi ipsa relinquitur et facile intellectum in errorem pertrahere valet; quod in statu vigiliæ accidere nequit.

415.—Obj. V. Circa existentiam corporum evidentiam adquirere non possumus; evidentia enim non habetur nisi circa res necessarias. Atqui de rebus evidentia destitutis dubitare licet. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.* Circa existentiam corporum adquirere non possumus evidentiam *metaphysicam*; Conc.: *physicam*; Neg. Item *dist. min.* De rebus evidentia *omni* destitutis dubitare licet; Trans.: de rebus destitutis evidentia *metaphysica*, non autem *physica aut morali*; Neg. Sicut datur triplex species certitudinis, *metaphysica* scilicet, *physica* et *moralis* (306); sic etiam triplex evidentia existit, secundum quod perceptio clara et distincta versetur circa res ad ordinem metaphysicum, physicum vel moralem pertinentes. In omnibus autem his tribus ordinibus perceptio rei clara et distincta infallibiliter ad verum iudicium ducit; quia tunc objectum menti in tota sua luce se manifestat, illamque ad se necessario rapit.

416.—Obj. VI. Deus, utpote sapientissimus, simplicissimis semper mediis utitur ad attingendos suos fines. Atqui simplicius est ut ideas nostras circa corpora versantes ille solus in nobis operetur, quam ut illas producat per suas creaturas. Ergo ideæ hujus-

modi a Deo solo originem habent. Atqui hoc posito, nonnisi per divinam revelationem constare nobis potest de hujus mundi existentia; quia has ideas nobis potest Deus infundere, etiamsi nullum corpus existeret. Ergo...

Resp. 1.^o—*Trans. maj. et min., neg. min. subs.* Quia, dato et non concesso Deum ipsum prædictas ideas nobis infundere, adhuc affirmare cum omnimoda certitudine debemus hunc mundum existere propter dicta in argumento quarto.

Resp. 2.^o—*Conc. maj. et neg. min.* Supposito enim fine, quem Deus intendit in productione hujus mundi, rectius et simplicius est ut per causas secundas producat in nobis perceptiones harum substantiarum materialium quam per se solum. Vide quæ contra hoc argumentum Occasionalistarum dicimus in Ontologia.

PROPOSITIO SECUNDA.

Sensus externi, apte dispositi et convenienter applicati, sunt infallibilis fons veritatis in judiciis immediatis, quæ circa qualitates corporum versantur.

417.—*Prænotanda.* Dicimus in primis *apte dispositi et convenienter applicati*; quia omnis potentia non bene disposita aut non convenienter suo objecto applicata, utpote in statu anormali constituta, errare potest. Dicimus deinde *in judiciis immediatis, seu sine discursu factis*; quia sensus ad hæc sola ex se movent, cætera autem opus rationis sunt atque ad ejus veracitatem spectant. Dicimus denique *in judiciis circa qualitates corporum versantibus*; ut excludamus illa quæ ad substantias corporum spectant: in his enim sensus facile ad errorem inducere possunt; cum sub-

stantiæ ad *remotum et accidentale* sensuum externorum objectum pertineant, et facile proinde ab eo aberrare valeant.

418.—*Demonst.*—Nulla potentia, apte disposita et convenienter suo objecto applicata, potest unquam ab illo aberrare. Tunc enim sine ullo impedimento ab objecto suo movetur atque ad illud trahitur: unde si, hoc non obstante, ab illo deflecteret, natura sua esset ad errorem inclinata: quod minime admitti potest. Atqui qualitates corporum constituunt naturale seu proximum objectum sensuum, ut ex supra dictis patet (407). Ergo apte dispositi et convenienter applicati nunquam aberrare ab illis possunt; ac proinde in judiciis circa illas versantibus sunt infallibilis fons veritatis, quia movere non possunt nisi ad judicia vera.

419.—*Ut sensus sint apte dispositi*, duæ conditiones requiruntur: quarum prima est, *ut sint sani*; secunda vero, *ut nulla qualitate transitoria, quæ eos a suo statu naturali et ordinario abstrahat, affecti existant*. Ratio utriusque conditionis est: quia sensus infirmi aut a statu suo naturali abducti non bene recipient actionem objecti, juxta illud: *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*, ac proinde non bene referent præsentiam objecti. Hinc icterico ex. gr. omnia obijciuntur induta colore flavo, quia colore hoc afficitur sua potentia visiva.

420.—*Ut autem sint convenienter applicati*, duæ pariter servari debent. Harum prima est, *ut unusquisque sensuum versetur circa suum proprium objectum, et ut commune pluribus a pluribus etiam percipiatur*. Ratio *primi* est; quia nulla potentia infallibilis esse potest nisi in rebus ad ipsam pertinentibus: ratio vero *secundi*; quia, quando objectum est commune pluribus sensibus, tunc potentia *totalis* non invenitur nisi

in illorum collectione. Sic, qui solo visu uteretur ad iudicandum de figura, extensione, volumine, distantia, etc. alicujus corporis, facile in errorem labi posset, quia hæc omnia etiam per tactum percipiuntur.

□ Secunda vero hæc est; *ut objectum sufficienti intensitate agat in sensum; et medium, per quod actionem suam diffundit, sit uniforme atque a statu suo naturali minime abstractum.* Ratio *primi* est; quia secus perceptio sensitiva foret nimis tenuis et obscura, ac proinde ad falsum iudicium prona. Sic sub tenui luce ex. gr. faciles sunt illusiones visus, unum colorem cum altero confundentis. Ratio deinde *secundi* in hoc consistit; quod nempe, modificato medio, mutatur necessario modus, quo actio objecti in organa sensuum per illud transfunditur: unde passio etiam in organis his diversa nascetur ab ordinaria, perceptioque sensitiva ex illa resultans anomala existet. Hac de causa *remus* ex. gr. aquæ immersus apparet fractus, et objectum quodvis coram speculo existens post ipsum speculum collocatum videtur.

Difficultates.

421.—Obj. I. Sensus externi referunt nobis esse in corporibus colorem, saporem, calorem, et alias qualitates hujusmodi. Atqui hæc non existunt nisi in subjecto sentiente. Ergo etiam recte applicati et bene valentes sunt fallaces.

Resp.—*Dist. maj.* Sensus externi referunt nobis existere in corporibus colorem, saporem, etc., *quatenus per hæc nomina designatur aliquid in corporibus existens, quo determinatur sensus ad sensationem coloris, saporis, etc.;* Conc.: *quatenus per talia nomina significatur sensatio ipsa in subjecto sentiente recepta.* Neg. Deinde *contrad. min.* Color, sapor et cæteræ qualita-

tes hujusmodi non existunt nisi in subjecto sentiente, *si per hæc nomina intelligamus sensationes prædictas; Conc.: si per illa intelligamus principium determinans sensum ad has sensationes producendas; Neg.* Porro hoc principium in corporibus ipsis est, nemine diffidente; corpus enim natura sua viride ex. gr. in se ipso habet aliquid, quo determinat radios Solis modo convenienti ad producendam in nobis sensationem viriditatis. Unde Cartesiani, qui tantopere Scholasticos exagitarunt ob tributas corporibus physicis qualitates sensibiles, stulte omnino se gesserunt; cum Scholastici non sensationes ipsas sed principium externum determinans sensus ad illas eliciendas in corporibus reposuerint.

422.—Obj. II. Difficile prorsus est explicare quid sit illud, quo corpora sensus nostros ad sensationes qualitatum determinant. Ergo frustra reponuntur qualitates sensibiles in ipsis corporibus.

Resp.—*Trans. ant. et neg. cons.* Quamvis difficile sit explicare naturam aut originem alicujus facti; non ideo negandum est factum ipsum, si illud nobis certo constat. Jam vero cum omnimoda certitudine cognoscimus factum determinationis productæ in nostris sensibus per corpora externa. Ergo minime frustraneum dici potest agnoscere in illis qualitates quasdam, quibus has determinationes in sensibus producant, quamvis forte intimam earum naturam rimari nequeamus.

§ III. AN SENSUS INTERNI VERACES EXISTANT.

423.—Præter sensum intimum, qui, prout facultas est, non distinguitur realiter a facultatum cognoscitivarum et appetitivarum omnium collectione (392), agnoscenda in animalibus est sensibilitas quædam interna, qua animal vera cognitione perci-

piat actus et objecta sensuum externorum atque actus appetitus sensitivi, objecta absentia vel olim percepta imagnetur, congruentiam concretam cognoscat aliquorum objectorum cum propria ipsius natura, res denique olim apprehensas iterum in memoriam reducat. Hinc formæ sensibilitatis internæ quatuor a philosophis numerantur; scilicet, *sensus communis, imaginatio, æstimatoria, et memoria*, de quarum singulis aliqua nunc præmittere oportet.

424.—Sensus communis, qui *internus* etiam vocari solet, *est quædam potentia organica, per quam percipit animal, tum actus omnes sensuum externorum, tum etiam objecta circa quæ ipsi versantur*. Habet in primis pro objecto actus omnes sensuum externorum; quia animal actus hos vera cognitione cognoscit, ac proinde agnoscenda in eo est potentia illorum perceptiva, quæ distincta sit a facultate sensus intimi (391). Habet deinde pro objecto omnium sensuum externorum objecta; quia per illum discernit animal inter *coloratum* et *calidum*, inter *odorum* et *sonorum*, etc.; quod a nullo sensu externo effici potest.

425.—Imaginatio seu phantasia est *quædam potentia organica, qua animal in se conservat species objectorum per sensus externos perceptorum, quaque iis speciebus utitur ad ea sibi in eorum absentia repræsentanda*. Per hanc potentiam et simpliciter nobis repræsentamus modo quodam sensibili objecta materialia ante percepta, et ex variis olim perceptis novum alterum nobis efformamus, v. gr. *montem aureum, equum alatum, etc.*

426.—Æstimatoria est *quædam potentia organica, qua animal cognoscit convenientiam concretam objectorum cum propria illius natura*, ut cum ovis sponte naturæ fugit lupum tamquam inimicum naturæ, et avis oportuno tempore facit nidum, tamquam aptum ad procreationem suorum filiorum. Per hanc potentiam producit animal quædam veluti judicia practica, quæ umbram quamdan ratiocinii in se continent et *ratiocinia virtualia* dici possunt; ut cum ovis lupum videns concludit esse fugiendum,

ne ab eo capiatur, etc. Hæc potentia organica quidem est; sed in homine perfectionem quandam majorem obtinet ex conjunctione cum ratione et subordinatione ad illam.

427.—Tandem memoria sensitiva est *quædam potentia organica, qua animal conservat in se species objectorum sensibilium olim perceptorum, concretamque præteriti rationem in eis cognoscit*. Hæc potentia in homine vocatur *reminiscentia*; quia, prout substat directioni rationis, rei meminit quasi discurrendo seu deducendo unum conceptum ex altero.

His positis, ut veracitatem horum sensuum explicemus; sequentem propositionem probabimus; quæ eadem est cum altera in præcedenti paragrapho circa veracitatem sensuum externorum stabilita.

PROPOSITIO.

Sensus interni omnes, rite dispositi et convenienter applicati, sunt infallibilis fons certitudinis in judiciis immediatis ad quæ intellectum movent.

428.—*Demonst.*—Nulla potentia rite disposita et convenienter suo objecto applicata potest ab eo aberrare. Ergo nec sensus interni: ac proinde judicia immediata, ad quæ sic dispositi intellectum movent, sunt necessario vera: seu quod idem est, sensus hi prædicto modo dispositi sunt infallibilis fons etc.

Quando autem his conditionibus sint præditi sensus, tam externi, quam interni, rationis est judicare: quia ad intellectum proprie spectat verum attingere ac proinde judicare de mediis quæ ad verum assequendum inserviunt.

429.—Sensus communis seu internus semper habet convenienter applicatum objectum suum, si sermo sit de actibus sensuum externorum percipiendis; quia hi actus sine ullo exteriori obstaculo illi se interius manifestant. Si vero agi-

tur de objectis externis, circa quæ prædicti actus versantur, conveniens applicatio tunc habetur, quando sensus externi sunt convenienter ad ea applicati. Objecta enim hæc in sensum communem non agunt nisi mediante impressione, qua organa sensuum externorum pulsant.

430.—Ad imaginationem quod spectat, tunc illa erit rite disposita atque ad objectum convenienter applicata, cum bene valet et sub directione rationis operatur. Quando enim ægritudinem patitur, ut in amentibus; aut sine directione rationis operatur, ut in somniis; tunc sibi monstra facile fingit, mentemque ad suum errorem pertrahit. Ratione igitur moderanda est, ut rite ac convenienter illi ministret.

431.—Denique ad memoriæ sensitivæ aptam dispositionem, rectamque applicationem hoc requiritur; ut sit sana et perspicue objectum suum repræsentet. Perceptio enim perspicua, cujusque generis ea sit, non nisi ad verum ducere potest. Nec vero dicas perspicuam memoriam non posse ab obscura secerni. Si enim hoc verum esset; actum esset de nostra ratione, cum ad omnes fere illius discursus memoria uti necesse sit. Distinguitur autem memoria perspicua a quavis alia sua ipsa perspicuitate; sicut lux se ipsa distinguitur a tenebris: unde nihil aliud facere oportet ad hanc perspicuitatem agnoscendam, nisi attentionem in actus memoriæ convertere, et inspicere utrum clare vel obscure objectum suum nobis repræsentent.

ARTICULUS III.

De fontibus moralis certitudinis.

Fontes hujusmodi certitudinis sunt tres: *auctoritas* nempe *divina* tum *humana in loquendo*, et instinctus quidam humanæ rationis ad verum nomine *sensus communis* appellatus. De illis ergo separatim in hoc articulo agendum nobis est: quamvis ad utilitatem alumnorum magis forte expediet ut quæ de auctoritate divina scribimus, magister in *Cosmologia* vel *Ethica* explicet.

§ I. AN AUCTORITAS DEI IN LOQUENDO SIT INFALLIBILIS
FONS VERITATIS.

432.—Auctoritas in loquendo est *vis quædam moralis ad assentiendum narratis movens propter narrantis scientiam et veracitatem*. Qui rem narrat, vocatur *testis*; narratio ipsa dicitur *testimonium*; actus denique testimonio assentiendi *fides* nuncupatur.

Qui fidem alterius testimonio præbet, notitiam quandam ex illius narratione caput; rebusque narratis assentitur, non quidem ob intrinseca motiva illam veritatem suadentia, sed ob rationes extrinsecas in loquentis scientia ac veracitate fundatas. Hinc ad rationabiliter credendum alteri, non opus est rationes intrinsecas penetrare, quibus res ab eo narrata vera esse ostenditur; sed sufficit scientiam et veracitatem testis certo cognoscere. Fidens enim testimonio loquentis innititur, dum e contra scientia in intrinseca objecti sciti evidentia fundatur. Scientia autem et veracitas prædictæ pro certis habendæ sunt, ut fidem certam narratis præstemus; quia aliter temere prorsus hunc assensum intellectui imperaret voluntas.

433.—Res narrata vel testificata potest esse vel quædam *doctrina* vel quoddam *factum historicum*: hinc testimonium loquentis in *doctrinale* et *historicum* dividitur. Nos in hoc paragrapho de primo præsertim agemus: quia Deus non loquitur hominibus ad simpliciter illis narrandum facta aliqua, sed ut eos instruat in via salutis; ac proinde locutio ejus ad homines facta semper natura sua doctrinalis est. Quia vero et possibilitas et utilitas hujus locutionis ab impiis hominibus impetuntur, utraque nunc defendenda est, antequam auctoritatem Dei in loquendo demonstremus.

PROPOSITIO PRIMA.

*Non modo possibilis sed etiam utilis dicenda est
revelatio supernaturalis quarundam veritatum moralium
et religiosarum caplum humanum non
superantium.*

434.—*Prænot.* Revelatio supernaturalis dicitur manifestatio alicujus veritatis hominibus a Deo facta per loquelam humanæ naturæ indebitam. Porro loquela Dei humanæ naturæ debita est illa, quæ fit per creaturas has sensibiles divini sui Conditoris excellentiam personantes. Indebita autem est ea, quam Deus immediate per se ipsum facit, infundendo homini aliquam notitiam et simul ei ostendendo se esse qui loquitur.

Hoc ultimum divinæ loquelæ genus Increduli oppugnant; sive quia impossibile putant, sive quia inutile et Deo indignum, sive denique quia humanæ naturæ noxium. Hanc autem Incredulorum turbam ex Pantheistis, Materialistis, Positivistis, aliisque ejusdem furfuris hominibus collectam nunc rejicere oportet, ut veram Philosophiam sequamur.

435.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Homo homini manifestare potest suas ideas per loquelam: ergo multo magis Deus, creator hominum et auctor omnis loquelæ. 2.^o Deus perfecte novit omnes res, quas homo processu temporis et evolutione naturali suæ rationis adquirere valet. Ergo poterit illas ei loquendo manifestare; quia infinitæ suæ sapientiæ ac potentiæ deesse nequeunt media ad id certissime obtinendum (1). Neque vero hoc majestate divina indignum existimandum est: quia, si majestatem divinam non dede-

(1) Circa diversos modos divinæ ac supernaturalis loquelæ consule D. Thomam, *Summ. Theol.*, 2.^a 2.^æ q. 174, aa. 2 et 3.

cet hominem creare et sua providentia gubernare; nec illum ad consecutionem sui finis per hoc supernaturale magisterium perducere dedecebit. Ergo...

436.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Magisterium humanum veritatum moralium ac religiosarum captum humanæ rationis non excedentium, quamvis natura sua labile et infirmum, est vere utile; quia hoc modo homines facilius, brevius et minore cum labore erudiuntur in his, quæ ad finem ipsorum ultimum spectant. Ergo multo magis utile erit magisterium divinum per supernaturalem revelationem factum, utpote natura sua infallibile ac perfectissimum. 2.^o Revelatio hæc est in primis utilis vulgo: quia vulgus et otio caret et gustu ad veritates religiosas et morales propria inquisitione investigandas, ac proinde in his addiscendis magisterio aliquo duci debet; magisterium autem divinum longe excellentius et utilius humano est, utpote infallibile et majestate divinæ locutionis nobilitatum. Deinde est etiam utilis philosophis; quia, post cognitatas has veritates ope magisterii divini, facilius, brevius et sine ullo errandi periculo poterunt eas per principia luminis naturalis demonstrare (1). Ergo.....

Difficultates.

437.—Obj. I. Revelatio supernaturalis opponitur naturali libertati rationis. Ergo minime utilis dici potest: bonum enim libertatis cætera omnia longe superat, juxta illud: *Non bene pro toto libertas venditur auro.*

Resp.—*Neg. suppositum;* rationem scilicet humanam naturali libertate gaudere ad veritatem admit-

(1) Consule circa hoc D. Thomam, *cont. gent.* lib. 1, cap. 4.

tendam vel non. Si enim evidenter ei monstratur; non potest non ei assentire ac proinde necessario eam amplectitur. Si vero non sufficienter ei manifestatur; non potest ei ex se ipsa adhærere, ac proin libertate caret ad eam amplectendam vel rejiciendam. Porro Increduli hæc nobis objicientes non libertatem rationis sed effrenem tenebrarum et ignorantiae licentiam exoptant; ut veritates religiosas et morales, quibus illorum vitia fortiter redarguuntur, obtinere possint. Libertas enim rationis in serviendo veritati consistit; eaque cognita, ratio naturaliter gaudet.

438.—Obj. II. Revelatio supernaturalis impedit progressum rationis, eam immobiliter infigendo rebus revelatis, et fanaticum fovet inter homines, tenacissimos eos suæ superstitionis reddendo. Ergo non modo non utilis, sed potius noxia dici debet.

Resp.—*Dist. ant.* Revelatio *falso* supernaturalis hæc omnia facit, Conc.; *revelatio vere* supernaturalis. Neg. Revelatio vere supernaturalis facit quidem ut mens veritatibus revelatis firmiter adhæreat; sed interea progressum scientiarum maxime fovet. Nec fanaticismo amica est, sed contra omnem fanaticum, non excepto fanaticismo irreligiositatis et incredulitatis, fortiter pugnat.

439.—Obj. III. Revelatio est perpetuum discordiarum seminarium. Admissa enim illius possibilitate, multi tamquam Dei legatos se populis exhibent ac religiones revelatas ad invicem pugnantibus fundant; unde horrida bella religiosa emergunt. Ergo.....

Resp.—*Dist. ant.* Revelatio est *ex se ipsa* perpetuum discordiarum seminarium, Neg.: *ex pravis hominum passionibus, rebus etiam sanctissimis abutentium*, Trans. Falsi Dei legati nihil facere queunt contra veros, sicut nec falsa moneta detrahit ullo modo veræ. Religio

revelata potest quidem esse *occasio aliqua* bellorum, sed minime illorum causa. Et hæc ipsa mala, quæ *per accidens* ex illa sequuntur, multo minora sunt quam mala irreligiositatis et immoralitatis; quæ propter perversissimas doctrinas revelationem supernaturalem insectantium virorum populos ubique invadunt.

PROPOSITIO SECUNDA.

*Possibilis etiam est atque utilis revelatio divina
mysteriorum.*

440.—*Prænot.* Mysteria dicuntur illæ *veritates*, quæ *captum creatæ rationis superant*, quæque *proinde solo naturalis rationis lumine cognosci minime possunt*.

441.—*Prob. 1.^a p.*—Dantur in Deo innumeræ veritates captum cujuscumque rationis finitæ superantes: siquidem ratio quævis finita ultra certos quosdam gradus non se protendit; perfectiones autem in infinito divinæ essentiæ pelago existentes nullis prorsus limitibus clauduntur. Atqui Deus has veritates perfectissime noscit. Ergo eas hominibus revelare potest.

442.—*Prob. 2.^a p.*—Revelatio prædicta inservit: 1.^o ad præbendam nobis aliqualem saltem cognitionem quarundam veritatum sublimium, quas aliter nullo modo cognosceremus; 2.^o ad captivandum lumen nostri intellectus per obedientiam præstitam magisterio divino in rebus quarum veritatem non videmus; 3.^o ad manifestandam nobis aliquo modo sapientissimam æconomiam, qua Deus uti velit in hominum gubernatione. Ergo....



Difficultates.

443.—Obj. I. *Mysteria sunt voces sine sensu; docent enim res nobis minime intelligibiles. Ergo non sunt possibilia.*

Resp.—*Neg. ant.* Ad prob. *dist.* *Mysteria docent res minime intelligibiles nobis quoad suam essentiam, Conc.: minime intelligibiles quoad suam existentiam, Neg.* Sicut cæcus a nativitate optime scit existentiam colorum *ex veridica relatione aliorum*, licet essentiam colorum minime cognoscat; sic et nos scire poterimus *ex infallibili relatione Dei* existentiam alicujus mysterii, quamvis illius essentiam intrinsece non videamus.

444.—Obj. II. *Quod est supra nostram rationem, est contra illam; sola enim illa quæ intrinsece repugnant, sunt nobis impervia. Ergo.....*

Resp.—*Neg. ant. Probat. vero dist.* Sola illa quæ intrinsece repugnant, sunt nobis *essentialiter* impervia, seu nullo prorsus modo cognoscibilia, Conc.: *naturaliter* impervia, Neg. Ratio nostra, utpote limitibus circumscripta, caret prorsus interna vi ad multas rerum essentias per se cognoscendas; quæ proinde sunt illi naturaliter imperviæ et inaccessæ. Solus intellectus divinus essentias omnes naturaliter penetrare intime valet.

445.—Obj. III. *Religio omnis debet esse evidens: atqui mysteria reddunt eam obscuram: ergo.....*

Resp.—*Dist. maj.* Religio omnis debet esse evidens *evidentia intrinseca et stricta*, Neg.: *evidentia saltem lata et extrinseca*, Conc. Deinde *contrad. min.* Mysteria reddunt eam obscuram *obscuritate intrinseca*, quæ circa essentiam internam rerum revelatarum versatur, Conc.: *obscuritate lata et extrinseca*, seu circa existentiam rerum revelatarum versante, Neg. Reli-

gio revelata, ut sit vera et nobis acceptabilis, debet esse evidenter credibilis ac proinde tali evidētia donata, ut certo nobis constet esse a Deo revelatam. Proinde religio continens mysteria erit quidem intrinsece obscura, quatenus nobis proponet aliquas veritates, quarum essentiam intimam ignoramus; sed erit simul extrinsece clara, quatenus evidētia saltem lata nobis constabit per divinam revelationem de harum veritatum existentia.

446.—Obj. IV. Religio debet intellectum illuminare. Atqui mysteria ei tenebras offundunt. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.* Religio debet intellectum illuminare, *præbendo illi notitiam certam veritatum*, Conc.: *præbendo ei intrinsecam cognitionem illarum*, Neg. Deinde *dist. min.* Mysteria offundunt tenebras intellectui, *quatenus intellectus non videt quomodo cohæreant extrema propositionum, quibus enuntiantur*, Trans.: *quatenus nec ipsam illorum existentiam certo cognoscit*. Neg. Mysteriorum revelatio aliquam semper lucem præbet intellectui; illam nempe, qua illorum existentiam cognoscit: unde non illum obtenebrat sed vere illuminat.

447.—Obj. V. Deus dedit nobis rationem, ut illa utamur. Atqui revelatio mysteriorum hunc nobis usum prohibet. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.* Deus dedit nobis rationem, ut ea utamur, *illam submittendo iudicio divino in his, quæ Deus certo credere jubet*, Conc.: *nihil admittendo, nisi intrinseca rei veritas nobis pateat*, Neg. Deinde *contradist. min.* Revelatio mysteriorum prohibet nobis usum rationis *ad penetrandam per nostras naturales vires intimam eorum essentiam*, Trans.: *ad certo cognoscendam illorum existentiam*, Neg. Imo sine revelatione nullum prorsus usum rationis habere possemus circa mysteria; quia sunt omnino nobis impervia.

448.—Obj. VI. Deus loquitur hominibus, ut ab illis intelligatur. Atqui in revelatione mysteriorum non intelligitur. Ergo.....

Resp.—*Dist. min.* Non intelligitur *quod ad ea quæ Deus vult a nobis intelligi*. Neg.: *quod ad alia, circa quæ hanc Deus voluntatem non habet*, Conc. Deus in mysteriorum revelatione vult ut intelligamus *illorum existentiam*, et hanc certe intelligimus: non vult autem ut intelligamus *modum, quo* mysterium est in se; quia illum nobis non revelat; et hunc modum ignoramus.

PROPOSITIO TERTIA.

Cum Deus aliquid nobis revelat, certissime illud credendum est; et quidem assensu omnem certitudinem naturalem superante.

449.—*Prob. 1.^a p.*—Cum Deus aliquid nobis revelat, implicite jubet suis verbis credere assensu firmissimo. Loquitur enim nobis ut credamus: et cum sit infallibilis ac summe verax; loquitur nobis, ut ea, quæ loquitur, firmissime et sine ulla dubitatione ut vera teneamus. Ergo cum aliquid nobis revelat, certissime illud credere oportet.

450.—*Prob. 2.^a p.*—Certitudo assensus debet esse proportionalis motivis objectivis, in quibus fundatur (316). Atqui motivum, in quo fundatur certitudo fidei divinæ, perfectione superat aliud quodcumque; nihil enim tam intime connexum cum veritate nostrorum iudiciorum dari potest, quam scientia et veracitas Dei. Ergo....

PROPOSITIO QUARTA.

Inter fidem et rationem, seu inter veritates revelatas et naturaliter cognitās nulla realis pugna existere potest.

451.—*Demonst.*—Tam fides quam ratio sunt a Deo; seu tam veritates revelatæ quam naturaliter cognitæ procedunt a summa veritate, quæ est ipse Deus. Sed summa veritas, seu Deus, nequit esse fons contradictionum et absurditatum; qualis foret, si inter veritates prædictas daretur realis pugna. Ergo....

Quando ergo aliqua pugna sese nobis offert inter veritates utriusque ordinis; tunc firmissime tenendum est illam non esse realem, sed tantum *apparentem*, et modus illas inter se componendi quærendus est.

PROPOSITIO QUINTA.

Rationi humanæ minime examinare licet mysteria fidei eodem prorsus modo ac veritates naturales, nec inquisitiones scientificas instituere præscindendo omnino a revelatione certo cognita.

452.—*Prænot.* Prima pars est contra Rationalistas rigidos, dicentes «omnes religionis veritates ex natura humanæ rationis vi derivari; ac proinde rationem esse principem normam, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat (1)». Secunda vero contra Rationalistas moderatos dirigitur; qui tenent, «cum ratio humana

(1) Syllabi prop. IV.

ipsi religioni æquiparetur, idcirco theologicas disciplinas perinde ac philosophicas tractandas esse (1).»

453.—*Prob. 1.^a p.*—Falsum est omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivari; siquidem dantur in ea vera mysteria, humanæ rationis captum excedentia. Ergo ratio humana non debet esse princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat; sed in investigatione mysteriorum ad hoc solum debet attendere, utrum Deus *de facto* vere illa revelaverit vel secus. Hinc vero patet rationi humanæ non licere in investigatione mysteriorum supernaturalium atque in disquisitione veritatum naturalium eodem modo procedere.

454.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Qui certus est de aliqua veritate revelata, non potest in disquisitione aliarum ab illa absolute præscindere; sed semper debet esse paratus omnibus suis cogitationibus, quantumvis firmæ atque perspicuæ videantur, potius renuntiare, quam illam veritatem certo revelatam negare aut in dubium revocare (326). Ergo..... 2.^o Si ratio in scientificis suis inquisitionibus a dogmatibus jam certo cognitis absolute præscinderet, sæpe in assertiones illis contrarias incideret; cum fallibilitati subjecta sit et sæpe fallatur. Atqui sciens dogma aliquod vere esse a Deo revelatum, tenetur sufficientem diligentiam adhibere, ne suis cogitationibus aut dictis aliquid illi contrarium proferat. Ergo rationi humanæ non licet in suis disquisitionibus scientificis a dogmatibus jam certo cognitis omnino præscindere (2).

(1) *Ibid.* prop. VIII.

(2) Videsis nostrum opus: «La Religion Católica vindicada de las imposturas racionalistas, cap. XXX»; ubi latius agitur de hæc re.

§ II. AN TESTIMONIUM HUMANUM SIT FONDS CERTITUDINIS
MORALIS.

455.—Testimonium humanum longe inferius divino est; cum homines in loquendo sæpe fallantur atque etiam fallant. Hoc tamen non tollit quominus vere utile dici debeat; cum tota hominum vita, ut sapienter D. Augustinus asseruit (2), naturaliter in fide fundetur. Porro auctoritas hominum in loquendo circa res doctrinales et circa facta historica versari potest: utrumque ergo nunc in hoc paragrafo considerandum est.

PROPOSITIO PRIMA.

In rebus doctrinalibus rudes et ignari testimonio sapientum duci debent; hi autem rationibus præsertim intrinsecis inhæreant necesse est ad sua judicia efformanda.

456.—*Prob. I.^a p.*—I.^o In rebus doctrinalibus rudes et ignari suo proprio iudicio duci nequeunt sed alieno. Sed hoc manifeste debet esse iudicium sapientum, quia præter rudes et ignaros non dantur nisi sapientes. Ergo... 2.^o Axioma est apud omnes receptum *peritis in arte credendum esse*. Atqui eadem ratio tenet pro *peritis in qualibet scientia*; cum nemo melius scire queat res ad aliquam scientiam spectantes quam illi, qui diu labores suos et operas in ea adquirenda posuerunt. Ergo in rebus doctrinalibus rudes et ignari etc.

(2) S. August. *De utilitate credendi*, cap. 12.

457.—*Prob. 2.^a p.*—1.^o Sapientes in rebus hujusmodi non *fidem* sed *scientiam* quærunt. Atqui scientia intrinsecis rationibus innititur, fides autem testimonio aliorum. Ergo sapientes etc. 2.^o Natura unicuique suam propriam rationem dedit, ut ea ubicumque potest utatur: atque hac de causa communiter dici solet *naturam ingenium dedisse nobis curiosum*. Atqui sapientes sunt capaces intrinsecas rerum rationes per semetipsos investigandi. Ergo in rebus doctrinalibus, quæ intrinsecam rerum considerationem postulant, rationibus præsertim intrinsecis inhærere debent.

458.—Dico *præsertim*: nam aliorum sapientum dicta, illorum præcipue, qui maxima sapientia florere, etiam sapiens in suis scientificis investigationibus præ oculis habere debet. Non enim sine gravissimo fundamento ab illis prolata fuisse putanda sunt, nec tuto ac sine errandi periculo ab illorum doctrinis ordinarie receditur. Unde maxima censura sunt digni Rationalistæ hodierni; qui ut libertatem suam in judicando ostentent, auctoritatem omnium, etiam sapientissimorum, superbe contemnunt. Et servilismus cæcus et rationalismus superbus in scientiarum cultura a quovis cordato pari cura vitandi sunt.

PROPOSITIO SECUNDA.

In materia factorum non solum ignari sed sapientes etiam testimonium humanum tamquam normam bonam habere generaliter debent.

459.—*Demonst.*—1.^o Regula nobis a natura concessa ad judicandum de factis, quæ nos per proprios sensus experti non sumus, est testimonium aliorum. Atqui quæ a natura procedunt, nonnisi per accidens fallunt. Ergo testimonium aliorum in rebus facti est generatim norma bona ad tuto et secure de illis judicandum. 2.^o Experientia propria quisque comperire potest et se in narrando aliis quæ vidit ordinarie

veritatem sequi, et alios id ipsum facere. Ergo experientia ipsa abunde manifestat testimonium humanum in rebus facti ordinarie ac per se esse normam securam ad judicandum. 3.^o Mendacium, utpote humanæ rationi contrarium, ab hominibus propter se non amatur sed propter aliqua commoda ex illo nascentia. Atqui ordinarie ac per se ex mendacio homines commodum nullum capere possunt. Ergo ordinarie ac per se a mendacio in suis dictis abhorrent; ac proinde testimonium illorum in rebus facti est generatim norma secuta ad judicandum, iudicio quidem sæpe probabili et non omnino certo, alias probabilissimo et evidentia quadam lata instructo, alias denique omnino certo et evidentia stricta donato, secundum diversam auctoritatem testantium.

PROPOSITIO TERTIA.

Testimonium hominum relate ad aliqua facta, tum coæva, tum præterita, aptum est ad veram et strictam certitudinem in nobis generandam.

460.—*Prob. 1.^a p.*—Nam imprimis, si factum sit publicum, illustre, facile cognitu, et omnibus patens, manifeste patet testes in eo percipiendò decipi non potuisse. Deinde, si testes hoc factum narrantes sint numero plures, studiis atque ingeniis diversi, si testimonium in præjudicium ipsorum testium redundet, aut nullum eis commodum afferat, aut denique sit tale, ut nulla fraus ex illorum narratione timeri possit; certissime constat testes in eo narrando veraces existere. Atqui dantur multa facta coæva hujusmodi, v. gr. existentia Pekini et Londini, victoria borussianorum de Napoleone III reportata, etc.; in quibus manifeste patet scientia et veracitas testium. Ergo....

461.—*Prob. 2. p.*—Sicut manifeste patent scientia et veracitas testium, quando agitur de facto aliquo publico, illustri, etc. ab hominibus diversæ indolis, ætatis, conditionis, etc. narrato, qui propriis oculis illud viderunt; sic eadem evidentia constare poterunt, quando sermo est de testibus laudatis, qui non per oculos sed per aures factum characteribus prædictis ornatum cognoverunt. Eadem enim rerum circumstantiæ in utroque casu existunt, periculum erroris aut fraudis avertentes a testibus. Sed multa sunt facta præterita hujus generis, v. gr. *mirabilis fundatio ac propagatio Chistianismi, multitudo martyrum qui pro illo occubuerunt, existentia antiqui imperii romani, bella inter carthaginenses et romanos habita*, etc. Ergo...

PROPOSITIO QUARTA.

Tum scriptura, tum traditio oralis, tum denique monumenta publica aliquando aptitudine gaudent ad transmittendam inter homines factorum historicorum notitiam.

462.—*Prob. 1.^a p.*—Si scriptum sit *authenticum, integrum et verax*, integra ei fides adhibenda est. Authenticitas enim consistit in eo quod sit verum opus illius auctoris, cui communiter tribuitur, vel pertineat ad illud tempus in quo ille vixit. Integritas autem in eo sita est, quod a nemine corruptum de industria fuerit, sed incorruptum semper ad nostra usque tempora, saltem quoad substantialia, transmissum sit. Ratione denique suæ veracitatis plenam fidem meretur, cum ab eo auctore confectum sit, qui bene norat res ab ipso narratas et vera dicere in narrando intendit. Atqui hæc tria in aliquibus scriptis

constare possunt. Nam authenticitas patet ex characteribus libri tam *intrinsicis* quam *extrinsicis*; quando nempe omnes qualitates illius optime quadrant in auctorem, cui communiter tribuitur, et illi tributus est ab auctoribus coævis aut fere coævis. Integritas autem aperta erit, si nullum appareat signum corruptionis in scripto originali; aut optime concordent inter se diversa exemplaria, quæ fuerit ex illo immediate vel mediate desumpta: quod quidem sæpe bene constare potest. Denique veracitas dignoscitur ex stilo simplici libri et nativum quemdam candorem spirante; tum etiam ex scientia et veracitate auctoris per alios auctores coævus aut fere coævus manifestatis. Ergo.....

463.—*Prob. 2.^a p.*—Traditio oralis dicitur *transmissio alicujus notitiæ ex uno tempore ad aliud per seriem non interruptam hominum ore tenus illam testantium*. Atqui, quando agitur de facto aliquo publico summeque illustri hoc modo in memoria hominum conservato, tunc traditio oralis illius absolutam certitudinem parit. Etenim talis traditio non potuit esse vitiata in sua origine; quia facta hujusmodi non possunt ab aliquo fingi tamquam præsentia, quin multi concives contra tam immane mendacium reclament: nec potuit vitiari postea, saltem quoad substantialia, quia semper viva permanet in ore civium ejusdem populi ad tres distinctas generationes pertinentium. Ergo...

464.—*Prob. 3.^a p.*—Impossibile est ut erigantur monumenta publica ad perpetuandam memoriam facti alicujus summe illustris ac ficti; quia tam immane facinus non posset non a quamplurimis civibus coætaneis publice oppugnari atque in derisum suorum auctorum verti. Ergo...

Difficultates.

465.—Obj. I. Testimonium hominum semper est fallibile; siquidem datur ab hominibus natura sua fallibilibus ac fallacibus. Ergo numquam generare potest realem certitudinem.

Resp.—*Dist. ant.* Semper est fallibile *fallibilitate, quam aliquando per circumstantias externas constat non fuisse reductam in actum*, Conc.: *aliter*, Neg. Etiam ratio humana est fallibilis; et tamen aliquando per circumstantias actionem suam comitantes constat certo non fuisse deceptam.

466.—Obj. II. Testimonium humanum eo minus movet, quo magis a longe operatur. Atqui summe antiqua summe distant a nobis. Ergo ad hæc nobis persuadenda nullam in nos vim habere potest.

Resp.—*Dist. ant.* Eo minus movet *in aliquibus traditionibus minus illustribus*, Conc.: *in omnibus*, Neg. Quando traditio versatur circa facta parum illustria; tunc certe processu temporis obliiteratur, si facta hæc scripta non conserventur. Quando vero facta sunt valde illustria et publica; tunc semper viva manet eorum memoria inter homines: qui proinde non sinunt ea obliiterari nec substantialiter corrumpi.

467.—Obj. III. Experientia compertum est facta historica paulatim in mentibus hominum transmutari; donec tandem in plenas fabulas convertuntur. Ergo.....

Resp.—*Dist. ant.* Facta *aliqua parum illustria*, Conc.: *omnia, etiam valde illustria et publica*, Neg. De his enim contrarium docet experientia.

468.—Obj. IV. Saltem facta illa, quæ vocantur *miracula*, non possunt certo per traditionem oralem nobis constare. Non enim aliud sunt nisi *mythi quidam historici*, seu facta quædam naturalia per ima-

ginationem vulgi qualitatibus quibusdam supernaturalibus vestita. Ergo...

Resp.—*Nego ant. et rationem pro illo adductam:* quæ ab adversariis non affertur, nisi quia falsissime supponunt miracula esse impossibilia. Porro miracula, quæ in favorem Religionis a Deo patrantur, ut accidit in miraculis a Deo factis in foundatione Christianismi, res illustrissimæ sunt; et per traditionem oralem conservari in hominum memoria queunt, non minus quam aliud quodcumque.

§ III. AN SENSUS COMMUNIS SIT FONS CERTITUDINIS MORALIS.

469.—*Nomine sensus communis hic intelligitur, non quidem potentia illa organica sensibilitatis internæ pro objecto habens actus et objecta omnium sensuum externorum (424), sed naturalis quædam animi nostri inclinatio ad habendas tamquam certo veras quasdam res, quæ nobis non constant per testimonium sensuum externorum, aut internorum, nec per auctoritatem divinam aut humanam, nec denique per ideas claras et distinctas, sed per quendam veluti instinctum intellectualem similem instinctui brutorum.*

470.—*Existere in nobis sensum hunc res est per se manifesta. Illo enim ducti judicant generatim homines dari differentiam essentialem inter bonum et malum morale, existere Deum remuneratorem bonorum et vindicem malorum, honorandos esse parentes, animam humanam esse immortalem, et alia hujusmodi. Circa naturam vero illius graviter aberrant Reidiani in instinctu quodam cæco eum reponentes, quem supra jam refutavimus (368, 372); cum inclinatio hæc intellectus ad emittenda judicia prædicta nihil aliud proprie sit nisi naturalis ejus aptitudo ad assequendam veritatem seu appetitus innatus veritatis. Porro homines judicia sensus communis proferunt, non quidem cæce et more brutorum, sed evidentia quadam lata ducti, quæ sufficit ad certitudinem consequendam (300).*

His præmissis, ad ejus veracitatem ostendendam accedamus.

PROPOSITIO.

Sensus communis debitis conditionibus instructus est infallibilis fons certitudinis.

471.—*Demonst.*—Conditiones ad iudicium quodvis sensus communis requisitæ sunt sequentes: 1.^a *Ut ab omnibus generatim habeatur ut certum;* 2.^a *Ut persuasio hæc omnium animis generatim infixæ non minuatur exercitio rationis; sed e contra hæc, studio scientiarum exculta, inveniat argumenta fortia et gravia ad illam corroborandam, etsi forte demonstrativa non existant.* Porro ex his duabus conditionibus aperte sequitur iudicia omnia sensus communis esse omnibus hominibus communia, constantia et uniformia. Ergo procedere debent a causa quadam in omnibus hominibus constanter et uniformiter operante; quæ non alia esse potest nisi ipsa rationalis illorum natura. Sed natura rationalis vi sui proprii ponderis et appetitu suo innato non potest esse inclinata nisi ad verum; quia hoc est proprium illius objectum. Ergo iudicia omnia sensus communis necessario debent esse vera; ac proinde sensus communis debitis conditionibus ornatus, etc.

Difficultates.

472.—Obj. I. Iudicia sensus communis non sunt omnibus communia: tum quia omni tempore extiterunt Athei; tum etiam quia inter aliquos populos pro honestis habitæ sunt res, quas sensus communis inhonestas reputat, quales sunt *parentum jam senescentium occisio, furtum*, etc. Ergo.....

Resp.—*Dist ant.* Non sunt communia omnibus omnino hominibus; Trans.: omnibus *generatim*, Neg. Hoc autem sufficit ut oriri dicantur a natura: pauci enim illi, qui aliter sentiunt, ut *vera monstra* reputari debent; quæ suis vitiis naturale rationis lumen voluntarie obscurarunt et a recto calle detorserunt. Hinc patet quid respondendum sit ad rationem primam: *Athei* namque nomen sine horrore apud populos auditum est numquam. Ad alteram vero quod attinet, sufficiat notare, principia moralitatis alia esse *primaria*, quæ immediate aut sine ullo fere discursu ab hominibus cognoscuntur; alia vero *secundaria*, quæ aliquo discursu indigent ut cognoscantur. Et hujus secundi generis sunt judicia moralia, in quibus aliquantulum variare deprehensæ sunt gentes; non vero altera primi generis, quæ sola proprie pertinent ad sensum communem.

473.—Obj. II. Judicia sensus communis non sunt constantia. Nam antiquitus omnes generatim homines judicabant plures esse deos, Solem verti circa Terram, etc.: nunc autem persuasio apud omnes obtinuit contraria. Ergo.....

Resp.—*Neg. ant.* Ad probationem dico nullum ex judiciis citatis ad sensum communem pertinere, cum eis debitæ conditiones deficient; sed utrumque ex prava hominum ratiocinatione ortum duxisse. Porro pluralitatem deorum antiqui populi, non naturæ instinctu, sed passionum vitio, quibus obnoxii erant, excogitarunt. Persuasio autem de motu Solis circa Terram illusioni sensuum debetur. Nam cum oculis videant homines diversas positiones Terræ ac Solis in spatio, et Terræ motum non sentiant; ad judicandum adducuntur Solem circa Terram moveri, hanc vero immotam persistere.

CAPUT III.

De universali et ultimo certitudinis criterio.

474.—Generale certitudinis criterium dicitur *nota illa judiciis omnibus certis communis atque illis exclusive propria, per quam ab incertis et falsis a nobis secernuntur*. Circa notam hanc non una est mens philosophorum. Alii enim dicunt non existere; alii eam reponunt in instinctu cæco Reidianorum; alii in sensu quodam intellectuali, quo ad veritatem bene afficimur, ut Jacobi existimavit; alii in primitiva revelatione per communem populorum consensum ad nos usque transmissa; alii in evidentia rerum, sive objectiva, sive subjectiva, etc., etc.

475.—Quod ad notæ hujus existentiam attinet, non videtur hæc in re posse esse controversia. Nam quamvis diversæ dentur certitudinis naturalis species, omnes tamen in una ratione communi certitudinis naturalis conveniunt, per quam a rebus non certis secernuntur. Hæc autem ratio nota erit quam quærimus; quæcumque ea sit et in quocumque illius naturam reponendam censeamus. Proinde de existentia criterii hujus non agemus; sed illam ut certam supponentes, ad illius naturam rimandam properamus. Itaque rem totam tribus articulis tractabimus; in quorum primo doctrinas falsas refellemus, in secundo autem ex opinionibus probabilibus quenam seligenda videatur breviter dicemus, in tertio denique rationes adversariorum dissolvere curabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Refelluntur falsæ doctrinæ ad criteii prædicti naturam spectantes.

476.—Quatuor sunt hac in re principales sententiæ, quæ specialem refutationem merentur. *Prima* est Reidianorum, in instinctu quodam cæco nostri intellectus ultimum certitudinis nostræ in rebus omnibus fundamentum constituentium. *Secunda* ad Sentimentales Germanos pertinet; qui, duce magistro eorum Jacobi, ad naturalem animi nostri benevolentiam erga veritatem recurrunt, quique proinde discerniculum veræ certitudinis in benevola hac animi nostri affectione erga iudicia vera reponunt. *Tertia* est Galluppii (1), Mivart (2), et aliorum; juxta quos criterium hoc in testimonio conscientiæ consistit. *Quarta* denique est Traditionalistarum, dicentium mentem humanam ex se impotentem esse ad assequendam veritatem absque adminiculo revelationis divinæ primo homini in paradiso factæ et per traditionem populorum oralem ad nos usque transmissæ, atque exinde concludentium generale et ultimum certitudinis criterium in generali hominum consensu primitivam Dei revelationem manifestante collocandum esse. Ad eas igitur refellendas, sequentes propositiones statuemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Nec instinctus cæcus Reidianorum, nec affectio benevola Sentimentalium, nec denique testimonium conscientiæ tamquam generale et ultimum certitudinis criterium constitui possunt.

477.—*Prob. 1.^a p.*—Instinctus cæcus Reidianorum ne criterii quidem nomen meretur; siquidem ad

(1) Galluppi, *Lez. di Log. e Met.* Lez. XXXVIII.

(2) George Mivart in Ephemeride hiberniensi «The Month», n. 224, vol. XXVIII, pag. 174.



scepticismum recta ducit (368), et omnem scientiam pessumdat. (372). Ergo...

478.—*Prob. 2.^a p.*—Benevola affectio Sentimentalium est etiam quid cæcum, non secus atque instinctus reidianus: ergo ne criterium quidem vocari potest. Est præterea actus quidam voluntatis; ac proinde directione intellectus indiget, ne ab objecto suo aberret. Ergo nequit esse *ultimum* certitudinis discerniculum seu criterium. Denique, ut pote fluxa et diversis animi passionibus subjecta, non habet connexionem infallibilem cum veritate. Ergo minime statui potest tamquam securum illius discerniculum.

479.—*Prob. 3.^a p.*—Testimonium conscientiae non habet pro objecto *naturam* cogitationum nostrarum sed simplicem existentiam earum in subjecto cogitante. Atqui criterium seu discerniculum, de quo est quæstio, versatur circa naturam cogitationum nostrarum; cum ostendere nobis debeat quænam ex illis sit certo logice vera. Ergo.....

PROPOSITIO SECUNDA.

Nec divina revelatio, nec consensus generalis hominum eam ostendens, possunt esse universale et ultimum certitudinis criterium.

480.—*Prob. 1.^a p.*—Antequam revelationi divinæ assensum præbeam, certus esse debeo: 1.^o de mea existentia; 2.^o de existentia Dei, qui fecit revelationem; 3.^o de obligatione illi credendi; 4.^o de existentia divinæ revelationis; 5.^o de aptitudine mei intellectus ad cognoscendum cum certitudine factum divinæ revelationis. Ergo hæc omnia certa mihi esse debent, non per divinam revelationem, sed aliunde, ac proinde divina revelatio nequit esse universale et ultimum certitudinis criterium.

481.—*Prob. 2.^a p.*—Ut universalis hominum consensus possit mihi esse norma secuta ad discernendam veram certitudinem a falsa in aliqua re, debeo prius cum certitudine cognoscere: 1.^o existere homines; 2.^o eos in re aliqua testanda convenire; 3.^o hoc testimonium mereri meam fidem; 4.^o existere me, habereque internam aptitudinem ad hæc omnia cum certitudine cognoscenda, etc. Ergo de consensu, hoc universali id ipsum affirmandum est, quod de divina revelatione diximus; illud nempe non esse universale et ultimum certitudinis criterium.

482.—Rationes quibus Traditionalistæ absurdum hoc systema defendunt, sunt illæ ipsæ quæ a Scepticis pro suo dubio universali adduci solent: unde jam omnes solutæ sunt. Hic vero hoc tantum notare sufficiat, systema Traditionalistarum, quia vires rationis humanæ extinguebat illamque naturaliter impotentem reddebat ad cognoscendam ipsam revelationem, pro qua pugnabat, jure optimo fuisse ab Ecclesia damnatum.

ARTICULUS II.

**Propugnatur sententia criterium
certitudinis generale et ultimum in evidentia sub-
jectiva constituens.**

483.—Evidentia est *intellectualis quædam lux, qua objectum tam clare ac perspicue cognoscitur, ut oculis cerni videatur*. Dividitur in *objectivam* et *subjectivam*; quarum prima *in claritate objecti consistit*, secunda vero *in claritate perceptionis*. Evidentia præterea potest esse, non secus ac certitudo, *metaphysica, physica et moralis*. Harum prima *in motivis fundatur ad ordinem idealem purum pertinentibus*, ut in hoc exemplo; *Circulus omnis est rotundus*; secunda vero *motiva respicit ad ordinem physicum spectantia*, ut in hoc alio: *Homo, quem oculis cerno, est frater meus*; tertia

denique *in motivis sistit ordinis moralis propriis*, ut in hac propositione: *Si centies talos jacias, non eundem semper numerum obtinebis.*

His præmissis, jam ad defensionem sententiæ nostræ veniamus, quam ut nobis probabiliorem defendimus: quod quidem duabus propositionibus perficiemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Evidentia subjectiva est criterium infallibile certitudinis.

484.—*Demonst.*—1.^o Nemo potest negare evidentiam subjectivam esse criterium certitudinis, quin eo ipso incidat in scepticismum universalem; cum nulla cognitio magis connexa cum veritate inveniri possit, quam cognitio clara et perspicua. Sed scepticismus universalis est doctrina absurda et ab omnibus rejicienda. Ergo evidentia subjectiva ut verum criterium certitudinis infallibile agnosci debet. 2.^o Asserere evidentiam subjectivam esse infallibile certitudinis criterium est idem ac affirmare mentem nostram habere intrinsecam aptitudinem ad acquirendam veritatem; illamque infallibiliter obtinere, quoties objectum clare ac distincte percipit. Atqui mens habet in se aptitudinem hanc; atque infallibiliter assequitur veritatem, cum objectum clare ac distincte percipit; quia tunc objectum clare et sine ullo impedimento illi monstratur. Ergo... 3.^o Ipsa evidentiae subjectivæ notio hoc ostendit; nam evidentia, ex *εὐ* et *ἰδέναι* derivata, idem prorsus sonat ac *bona visio* seu *visio apte objectum repræsentans*; unde a Cicerone pro *illustratione* sumitur. Ergo.....

PROPOSITIO SECUNDA.

Criterium certitudinis generale et ultimum in evidentia subjectiva reponendum videtur.

485.—*Prob.*—1.^o Nota illa per quam veritas logica a falsitate certo secernitur, debet esse quædam qualitas ipsius veritatis logicæ; unaquæque enim res a ceteris discriminatur per suas peculiare proprietates. Atqui sola evidentia subjectiva est qualitas veritatis logicæ. Quod enim sit qualitas illius, patet ex thesi præcedente; in qua demonstratum est evidentiam subjectivam esse realiter criterium veritatis. Quod autem illa sola sit qualitas veritatis logicæ, videtur manifestum: nam evidentia objectiva, in qua adversarii criterium hoc reponunt, non qualitas veritatis logicæ, sed objecti, circa quod veritas logica versatur, dicenda est. Ergo.....

2.^o Illud debet dici generale et ultimum certitudinis nostræ criterium, in quod ultimo resolvitur fundamentum certitudinis nostræ. Atqui fundamentum in quod ultimo resolvitur nostra certitudo est evidentia subjectiva. Si enim quæras ab aliquo, cur actu firmissimo *scientiæ* adhæreat alicui objecto; respondebit abs dubio: *Quia video objectum hoc ita esse in se sicut mente illud apprehendo*, et ulterius procedere non valebit. Si autem ab illo postules, cur actu firmissimo *fidei* teneat aliquid sibi narratum, respondebit statim: *Quia video narrationi factæ firmiter esse adhærendum*, et ibi tamquam in ultimo fundamento quiescet. Ergo.....

Verum quidem est hominem sic interrogatum habere in se illas perceptiones evidentes, quia objectum sua evidentia objectiva mentem suam determinat ad

illas eliciendas. Sed hoc jam non pertinet ad quæstionem illam in qua quæritur: *Cur firmiter adhæreat huic objecto*, sed ad hanc alteram: *Cur clare percipiat hoc objectum*; quæ non in linea *veritatis logicæ* invenitur, sed in linea penitus diversa *efficientiæ physicæ*. Ergo stando soli lineæ veritatis logicæ, in qua debemus permanere semper, dum agitur de ultimo resolutivo nostræ certitudinis inveniendū, ultimum in quo resolvitur hæc certitudo, est clara et perspicua perceptio veritatis judicii, quo objecto firmiter adhæremus.

3.º Quod proprie quærit philosophus, dum per reflexionem scientificam scire cupit utrum res aliqua sit certo vera, hoc est; ut cognoscat utrum objectum a parte rei sit tale, quale in mente sua repræsentatur. Atqui ad hoc inveniendum non aliud potest per suam reflexionem facere, nisi naturam subjectivæ illius repræsentationis considerare, utrum nempe clara sit et distincta, vel e contra obscura et confusa; quia reflexio, ut talis, versari nequit nisi circa cogitationes prius habitas. Ergo in cogitatione hac, non vero in natura objecti ad quod illa refertur, debet invenire philosophus ultimum fundamentum suæ certitudinis scientificæ.

Poterit quidem, si vult, objectum etiam alio actu a reflexione distincto *recogitare*, ut illud melius apprehendat. Sed tunc etiam ultimum motivum, quo ducetur ad illud reflexe habendum tamquam certo verum, erit perspicua perceptio, qua clare et distincte videat illud esse realiter in se, quale a mente cogitatur.

Neque vero dicas reflexionem hanc scientificam esse ontologicam, ac proinde circa objectum ipsum versari. Nam reflexione ontologica non consideramus objectum *in se ipso*, sed prout relucet in nostra cogitatione; quod idem est ac dicere objectum reflexionis

laudatæ esse *cogitationem nostram prout repræsentativam objecti externi*. Unde in cogitatione hac, prout repræsentativa est alicujus objecti, et non in objecto ipso, invenire debet philosophus ultimum fundamentum suæ certitudinis reflexæ. Hoc est enim quod quærit per suam reflexionem; utrum repræsentatio, quam in se habet, exprimat aliquod objectum reale vel fictum.

ARTICULUS III.

Respondetur argumentis adversariorum.

486.—Obj. I. Conscientia est primarium et ultimum fundamentum nostræ certitudinis. *Primarium* quidem; quia ipsa est, quæ primo reddit nos actualiter certos de aliqua re: *ultimum* vero; quia, cum analysim instituimus rationum, quibus de aliqua re certi sumus, conscientia est illud, ad quod ultimo appellamus. Ergo...

Resp.—*Neg. ant. cum suis probationibus*. Nam conscientia non reddit nos certos *de naturastrarum cogitationum*, sed *de simplici præsentia illarum in mente*, sive veritatem logicam contineant, sive non. Nec ad illam appellamus tamquam ad ultimum tribunal, sed ad cognitionem objecti perspicuam, quæ est objectum conscientiae.

487.—Obj. II. Evidentia nequit esse generale criterium certitudinis; tum quia secus omnia judicia certa deberent esse evidentia, quod pugnat cum dogmate christiano; tum quia sæpe discernere non possumus veram evidentiam ab apparenti; tum denique quia inter evidentiam subjectivam, quæ mera animi modificatio est, et objectum reale externum nulla datur connexio intrinseca. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.* Ad rat. 1.^{am} *Respondeo* omnia iudicia certa debere esse evidentia; sive *evidentia intrinseca*, faciente rem videre; sive *evidentia extrinseca* et *credibilitatis*, faciente videre rem ab aliquo narratam credi posse. Unde nihil cum dogmate christiano pugnans habet sententia nostra, sed plene cum illo cohaeret.

Ad rat. 2.^{am} *Respondeo* evidentiam veram se ipsa optime distingui a falsa. Quod si aliqui in hoc falluntur; praecipitantiae suae in iudicando aut defectui attentionis ad suas cogitationes, aut aliis vitiis huiusmodi evidentiae externis, non vero ipsi evidentiae hoc tribui debet.

Ad rat. 3.^{am} *Respondeo* evidentiam subjectivam duplici modo spectari posse; scilicet et *ut modificatio quaedam animi* est, et *ut repraesentatio quaedam objecti externi in mente existens*. Primo modo non habet connexionem intrinsecam cum objeto externo, et sub hac ratione est objectum conscientiae. Secundo vero intime connectitur cum objeto memorato; quia cognitio clara et perspicua est necessario vera et non potest non repraesentare objectum externum reale et minime fictum.

488.—Obj. III. In nulla re melius reponi potest criterium universale certitudinis quam in principio contradictionis: hoc enim principium est quasi lydius lapis, quo veritatem singularum rerum examinamus. Ergo...

Resp.—*Neg. ant. Ration. addit. dist.* Principium contradictionis est quasi lydius lapis, etc., *quatenus substat in ordine logico principio evidentiae*, Conc.; *aliter*, *Neg.* In ordine ontologico primum sane locum tenet principium contradictionis: *Nihil potest esse simul et non esse*; sed in ordine psychologico hunc locum occupat factum existentiae propriae, quod

unusquisque enuntiat dicendo: *Ego sum*; et in ordine logico principium evidentiae: *Quod evidens est, verum est*. Jam vero in quaestione de criterio certitudinis nos quaerimus primum principium in ordine, non ontologico aut psychologico, sed logico. Ergo criterium hoc in evidentia reponendum est.

489.—Obj. IV. Criterium praedictum in evidentia objectiva constitui debet. Evidentia enim proprie in objecto est, non autem in subjecto: unde apte definiiri potest: *Neccesaria objecti visibilitas*.

Resp.—Neg. ant. et ejus probat. Evidentia enim proprie et primario non dicitur nisi de cognitionibus claris et perspicuis, prout repraesentationes quaedam sunt objectorum.

Inst.—Tum primitiva vocis hujus vis, tum loquendi usus ostendit evidentiam proprie non aliud esse quam *objecti claritatem*. Nam ad primum quod attinet, Cicero sic scribit: «Nihil clarius ἐνδραγεια: perspicuitatem aut evidentiam nos, si placet, nominemus.» Quod vero ad secundum spectat, dicimus quidem veritatem, falsitatem, propositionem, meritum, injuriam esse evidentem, videlicet esse evidentes propositiones, in quibus haec asseruntur; nemo autem dicit: *ego sum evidens*, quemadmodum dicimus *ego sum percipiens, certus, dubius*, quia istae sunt affectiones subjectivae. (Ita P. Tongiorgi, *Logica*, nn. 674 et 677).

Resp.—Dist. ant. Primitiva vis vocis et loquendi usus ostendunt evidentiam proprie non aliud esse quam objecti claritatem, *quatenus in idea alicui nostrae repraesentati*, Conc.; *quatenus in se ipso existentis*, Neg. Ipse adversarius hoc fatetur, dicens veritatem, injuriam, etc. dici evidentes, *quatenus evidentes sunt propositiones, in quibus haec asseruntur*. Judicia enim, quibus aliquid asserimus, *quid subjectivum* sunt ad

objectivum relatum, non autem quid objectivum extra mentem existens.

Ad prob. 1.^{am} *Nego* prorsus Ciceronem citato in loco evidentiam in objecto extra mentem existente reponere; sed potius illam in cognitionibus nostris, prout repræsentativæ sunt, manifeste collocat, ut quisque convinci potest, videndo totum contextum. Porro *evidentiæ* nomen, sive illud ex *εὑ* et *ἰδεῖν* derives, ut nobis placet, sive ex *e* et *videre*, ut alii malunt, semper actum videndi significat et non ipsum objectum extrinsecus positum. Hinc Scholastici communiter evidentiam proprie in cognitione inveniri dicunt et non in objecto (1).

Responsio ad rationem secundam patet ex nuper dictis; ubi ex ipsius adversarii verbis ostendimus, homines generatim evidentiam objecto, non prout est in se ipso, sed prout in cognitione relucet, proprie tribuere.

490.—Obj. V. Quidquid sit de vi primitiva nominis prædicti et de loquendi usu relate ad illud; dantur aliæ rationes gravissimæ, quibus ostenditur criterium generale et ultimum certitudinis in evidentiâ objectiva reponendum esse. Nam: 1.^o criterium debet esse immutabile, omnibus commune et incompatible cum falsitate. Atqui hæ proprietates conveniunt quidem objecto, non autem subjecto. Ergo... 2.^o Criterium est illud, vi cujus mens firmiter veritati ad-

(1) Vide Wirceburg. *de Fide*, n. 90; Quiros, *Curs. philos.*, tract. 2, part. 6, disp. 34, sect. 3.^a n. 7.; Ptolomæi, *Philosoph. mentis et sens.* dissert. 35 logico-phys. sect. 1.^a, 2.^a et 3.^a, Hurtado, *Logica*, disp. 10, sect. 3.^a, § 12; et *de anima*, disp. 8, sect. 5; Arriaga, *Curs. philos.* disp. 16, sect. 5, nn. 55-59; Alphonsus Malpartida, *Disputat. super tres lib. Aristot. de anima*, disp. 15, et alios. Unde mirum est contrariam sententiam potuisse apud recentiores non paucos obtinere.

hæret. Atqui hoc non est aliud quam ipsa realitas objecti per evidentiam subjectivam menti convenienter applicata. Ergo criterium in evidentia objecti reponi debet: evidentia autem subjectiva est *mera conditio* ad hoc, ut criterium verum certitudinem in mente gignat. 3.^o Criterium debet esse objectivum, ut per illud mens ad certitudinem determinetur. Atqui hoc convenit quidem evidentiae objectivæ, non autem subjectivæ. Ergo... 4.^o Reponere criterium in evidentia subjectiva est idem ac illud omnibus affectibus et passionibus subjecti cogitantis subicere, januamque omnibus erroribus aperire; quos defendere quisque poterit nomine suæ evidentiae subjectivæ. Atqui hoc minime licet. Ergo...

Resp.—*Neg. ant.* Ad rat. 1.^{am} *Conc. maj. et neg. min.* Evidentia subjectiva, non secus atque objectiva, habet omnes conditiones immutabilitatis, universalitatis et incompatibilitatis cum falsitate, quas postulat natura criterii. Fundatur enim in ipsa natura humana, quæ metaphysice immutabilis est, in omnibus hominibus eadem semper invenitur, et habet intrinsecam aptitudinem ad consequendum infallibiliter verum, quoties objectum sine ullo obstaculo in mentem agit. Quod ni verum foret; frustra objectum haberet *ex se* proprietates laudatas. Nam certitudinem causare nequit nisi mediante evidentia subjectiva, quæ sua mutabilitate, particularitate et fallibilitate redderet evidentiam objectivam mutabilem, particularem et fallibilem *quoad nos*.

Ad rat. 2.^{am} *Dist. maj.* Criterium est illud, vi cuius, *tamquam causæ metaphysicæ certitudinis*, mens firmiter veritati adhæret, *Conc.*; vi cuius, *tamquam causæ efficientis certitudinis*, *Neg.* Item *contrad. min.* Realitas objecti per evidentiam subjectivam menti applicata est illud, vi cuius, *tamquam causæ efficientis*

certitudinis, mens firmiter adhæret veritati, Conc.; vi cuius, *tamquam causæ metaphysicæ certitudinis*, Neg. Realitas objecti extrinseci est quidem causa physica certitudinis; cum objectum physice concurrat simul cum potentia nostra cognoscitiva ad productionem iudicii certi, a quo realiter non distinguitur certitudo. Sed ideo præcise quia efficienter influit in illam, debet esse quid a criterio distinctum. Nam criterium est proprietas quædam actus ipsius certi; ac proinde quid physice causatum ab objecto. Criterium ergo debet esse causa certitudinis, non physica, sed metaphysica: hoc autem optime convenit evidentiae subjectivæ; quia evidentia subjectiva ex una parte non distinguitur realiter in actu evidente a certitudine (1), et ex altera est vera illius causa. Nam. ut optime argumentatur Hurtadus (2), evidentia subjectiva est radix, ex qua tamquam principio inferimus certitudinem, sicut ex admiratione risibile. Contendunt quidem defensores evidentiae objectivæ evidentiam subjectivam esse *meram conditionem* ad certitudinem et nullo modo ejus causam. Sed in hoc vel ex ipso communi loquendi modo refelluntur; quia omnes dicunt se certos esse de aliqua re *quæ vident* illam sic esse in se, prout ab illis judicatur.

Ad rat. 3.^{am} *Dist. ant.* Criterium debet esse objectivum, id est, *res aliqua cognita per intellectum*,

(1) Ita sentiunt inter alios Quiros, Ptolomæi, Arriaga, Malpartida et Hurtadus locis supra citatis. Illorum ultimus sic ad hoc probandum discurrit: «Dico primo. Certitudo non distinguitur ab evidentia in actu evidente. *Primo*, quia certitudo est determinatio actus ad verum: ergo evidentia est certitudo..... *Secundo*, quia evidentia non distinguitur ab infallibilitate: sed infallibilitas est certitudo, quia dicit incapacitatem actus ad falsitatem: ergo evidentia non distinguitur realiter a certitudine (Hurtadus, *de anima*, disp. 8, sect. 5).»

(1) Id. *ibid.*

Conc.: *res aliqua extra intellectum existens et simul cum intellectu actum certum physice causans*, Neg. Criterium debet quidem cognosci, sive signate, sive saltem exercite, ab intellectu; ut hic sine ulla dubitatione objecto adhæreat. Sed exinde non sequitur quod intendunt adversarii; debere nempe esse quid extra intellectum existens et simul cum intellectu actum certum physice causans. Quia, ut mens determinetur ad assensum firmum, sufficit ei *exercite* cognoscere conformitatem suæ cognitionis cum objecto cognito (302). Per reflexionem philosophicam videtur etiam *signate* criterium, seu nota illa qua iudicium certum directum secernitur a non certis: et tunc nota illa iudicii directi per modum objecti cernitur ab intellectu, non autem ut existens extra intellectum, sed intra; cum sit proprietas quædam iudicii directi pro objecto reflexionis assumpti.

Ad rat. 4.^{am} Neg. *maj.* Ex nostra doctrina minime sequuntur absurda, quæ adversus illam contorquere volunt defensores evidentiae objectivæ; quia evidens objecti repræsentatio est tam fixa, discernibilis et infallibilis, quam ipsum objectum. Quod ni verum foret; actum etiam esset de ipsa evidentia objectiva: quia realitas objecti evidentis nequit in nobis producere certitudinem nisi *quatenus menti uniuscujusque individuali per evidentiam subjectivam applicata*. Unde fiet, ut quivis, pro diversitate passionum quibus afficiatur, dicat objectum hoc vel illud, plane imaginarium et erroneum, esse evidenter reale et verum.



LOGICÆ TERTIA PARS, SEU METHODOLOGIA.

491.—Postquam de regulis mechanismi logici ac de criteriis ad bene de rebus judicandum in duabus præcedentibus Logicæ partibus egimus, nunc in hac tertia et ultima conditiones considerare oportet ad aptam cogitationum nostrarum dispositionem necessarias, ut ex illa in nobis resultet *organismus scientiæ*. Quatuor autem capitibus rem totam complectemur: in primo enim de natura methodi in genere ac de diversis ejus speciebus, in secundo vero de instrumentis illius principalibus, in tertio denique et quarto de initio et fine scientiæ per methodum acquirendæ sermo nobis habendus est.

CAPUT PRIMUM.

De methodi natura ac de præcipuis ejus speciebus.

ARTICULUS PRIMUS.

De methodi natura.

402.—Methodus ($\mu\epsilon\theta\delta\omicron\varsigma$, *in via*) viam significat, quam quis sequi debet, ut in claram et distinctam rei alicujus cognitionem perveniat. Potest autem et *subjective* et *objective* considerari. Subjective sumpta definiri potest: *Apta illarum cogitationum dispositio, quas mens elicere debet, ut scientiam aliquam adquirere, vel aliis tradere possit.* Objective autem considerata *in iis ipsis mentis cogitationibus consistit, quatenus apte ordinatis ad scientiæ alicujus sive inventionem, sive traditionem.*

403.—Materia ergo methodi sunt *mentis operationes, quatenus aptæ ad scientiam sive inveniendam sive aliis tradendam; forma vero est apta harum operationum dispositio in ordine ad scientiam acquirendam vel tradendam; finis denique scientia ipsa per methodum assequenda.* Hinc patet methodum instrumentum seu medium quoddam esse ad scientiam comparandam vel aliis tradendam; scientiam vero *finem*, ad cujus possessionem per rectum methodi usum pervenitur.

404.—Porro scientia, ad quam conducit methodus, duplici ratione spectari potest, et prout collectio quædam est veritatum, præcisione facta tum *modi*, quo unaquæque illarum est demonstrata, tum etiam

ordinis qui in toto earum complexu regnat; et ut collectio quædam veritatum est *certo quodam modo et ordine inter se connexarum et per ratiocinium demonstratarum*. Primo modo spectata vocatur simpliciter *scientia*; secundo vero dicitur *systema scientificum* vel simpliciter *systema*. Unde *systema* in eo a *methodo* differt, quod hæc est *ordo scientiæ acquirendæ vel tradendæ*, illud vero est *ordo scientiæ jam acquisitæ vel traditæ*; a *scientia* autem in eo, quod hæc est *quædam collectio veritatum per ratiocinium demonstratarum*, dum e contra *systema* est *ordo quo de facto demonstratæ existunt*.

495.—Exinde duæ aliæ enascuntur differentiæ inter scientiam ex una parte et methodum ac systema ex altera. *Prima* in eo consistit, quod scientia proprie dicta nihil prorsus in toto suo complexu habet, quod vera evidentia non fulgeat; dum e contra tam methodus quam systema circa res etiam non evidentes versari possunt. Certo enim ordine disponere possumus ratiocinia non solum evidentia sed etiam probabilia. Hinc sæpe *sistematis* nomen ad indicandam ordinatam probabilium quarundam propositionum dispositionem a sapientibus usurpatum videmus. *Secunda* vero in eo reponitur, quod in scientia, ut tali, nihil est dependens a libertate humana, cum omnia in illa debeant esse necessitati evidentiae subjecta: ast e contra in methodo ac systemate multa relinquuntur libero hominis arbitrio; cum veritates eædem variis modis inter se ordinari queant. Hinc in scientia aliqua tradenda unus ponit in fine vel in medio tractatus aliquam propositionem v. gr., quæ ab altero ponitur in principio, et vice versa. Non omnia tamen debent esse in eis libero hominis arbitrio subjecta; sed præcipua propositionum pars juxta ordinem objectivum ordinanda est, ut in illo methodus et systema fundata existant.

ARTICULUS II.

De methodis Rationalistica et Scholastica.

496.—Methodus rationalistica est illa, quam homines rationalistæ in tractandis scientiis ordinarie amplectantur. Scholastica vero est ea, quam in illis excolendis catholici doctores cum sancto Thoma, eorum magistro, sectati sunt. Differentia inter utramque methodum hæc est, quod prima in omnibus suis actibus solam rationem individualement ducem sequatur, quavis auctoritate sive humana sive divina posthabita; secunda vero in suis ratiociniis auctoritatem, tum humanam tum præsertim divinam, magni faciat, licet suas conclusiones ex solis rationis principiis ordinarie deducat.

497.—Est autem duplex rationalismus, ut supra notatum est (452): alius scilicet *rigidus*, omnes religionis veritatis ex nativa humanæ rationis vi derivans: alius autem *moderatus*, inter dogmata revelata et veritates naturales aliquam quidem differentiam admittens circa modum quo primitus cognosci debent; sed nullam prorsus agnoscens circa modum quo utraque per principia rationis demonstranda sunt.

PROPOSITIO PRIMA.

Methodus philosophandi a Rationalistis rigidioribus adhibita est prorsus irrationalis et absurda; altera autem Rationalistarum moderatorum ut manifeste falsa rejicienda est.

498.—*Prob. 1.^a p.*—1.º Irrationale et absurdum est tollere prorsus de medio divinam Rationem et non admittere aliam præter humanam. Atqui hoc faciunt

Rationalistæ rigidi, possibilitatem mysteriorum supernaturalium negando et omnes prorsus religionis veritates ex nativâ humanæ rationis vi derivando, quasi hæc dea esset et nihil prorsus supra illam existeret. Ergo..... 2.º Irrationale prorsus et absurdum est quamvis hominum, etiam sapientissimorum, auctoritatem in philosophando contemnere, atque ita in rebus scientificis discurrere, ut nihili habeantur aliorum philosophorum dicta; etiamsi scientia et ingenio maximo floruerint et totam vitam suam in Philosophia excolenda insudarint. Qui enim hoc facit, minutam suæ rationis individualis et parum excultæ scientiæ excellentissimæ aliorum quorumlibet sapientiæ superbissime præfert; quasi ille solus veritati capiendæ idoneus foret et ceteri omnes in rebus examinandis cæcutiant. Atqui Rationalistæ rigidi ita ratiocinando se gerunt; cum solam suam rationem individualement in omnibus sequantur et quosvis etiam sapientissimos doctores ad tribunal hujus rationis quasi longe illis superiores appellent. Ergo.....

499.—*Prob. 2.^a p.*—1.º Manifestissime falsum est rationem humanam in scientiis excolendis a dogmatibus vere ac certo revelatis debere omnino præscindere, quasi nulla prorsus existerent et Deus numquam aliquid hominibus loquutus esset (454). Atqui hoc docent Rationalistæ moderati dicendo «Philosophiam tractandam esse, nulla supernaturalis revelationis habita ratione (1)», et alia his similia proferendo. Ergo..... 2.º Manifeste falsum est rationem individualement in philosophando ab auctoritate sapientum debere omnino præscindere. Nam prudentia dictat, ut peritissimos quosque in qualibet re magni habeamus et ab illorum sententiis nonnisi propter gravissimas

(1) Syllabus, prop. XIV.

causas et maxima cum consideratione recedamus; cum ratio nostra individualis sit maxime labilis et infirma, et aliunde fieri ordinarie nequeat, ut sententia aliqua a magnis illis viris propugnata solidissimis rationibus non fulciatur. Atqui Rationalistæ moderati, non secus ac rigidi, auctoritatem humanam in philosophando parvi pendunt, et solam rationem individualement in omnibus ducem sequuntur. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

*In excolenda Philosophia methodus scholastica
adhibenda est.*

500.—*Demonst.* 1.^o Id sequitur ex thesi præcedente; siquidem Scholastici in Philosophia magni faciendam esse dicunt auctoritatem sapientum, ac præcipue magisterii infallibilis in Ecclesia catholica existentis, ne a veritate aberremus; licet ratio argumenta sua nonnisi ex principiis naturalibus et metaphysicis desumere debeat. 2.^o Id etiam confirmatur ex initio philosophandi, quod Scholastici generatim assignant. Hi enim non a dubitatione universali, quemadmodum Rationalistæ faciunt; sed a principiis evidentibus ac per se notis scientificam inquisitionem docent esse inchoandam: quod quidem verissimum est, ut mox videbitur. Ergo... 3.^o Denique hoc idem roboratur ex modo discutiendi quæstiones a Scholasticis adhibito; qui summe aptus est ad scientias tuto ac solide adquirendas. Omnem enim apparatus verborum fugiens, ubique simplicitatem et soliditatem quærit; atque ut obscuritatem rerum vanasque verborum pugnas vitet, definitionibus ac divisionibus utitur, statumque quæstionis, ante quam disputationem incipiat, diligenter exponit: quo nihil utilius dari

potest ad scientias omnes cum fructu excolendas.
Ergo....

Solvitur quædam difficultas.

501.—Scholastici nimium auctoritati tribuunt, conclusionesque suas in dictis solummodo sapientum fundant, tamquam si de fide et non de scientia adquirenda ageretur. Ergo methodus scholastica exulare debet a Philosophia.

Resp.—*Dist. ant.* *Aliqui Pseudo-scholastici hoc faciunt.* Conc.: *veri et sapientes Scholastici hanc rationem philosophandi adhibent,* Neg. Qui ita se gerunt in Philosophia, non scholastici sed *consarcinatores mercium alienarum* dicendi sunt. Verus enim scholasticus auctoritatem magnorum sapientum reveretur quidem ac magni facit: illa tamen opprimi nullibi patitur; sed placita sapientum ita examinat ac ponderat, ut numquam cæce in illis admittendis ducatur, et aliquando etiam debita cum reverentia relinquat. Veritatem namque præ omnibus amat, neque umquam vult in alicujus jurare verba magistri.

ARTICULUS III.

De methodis ecclectica et systematica.

502.—Methodus ecclectica ea dicitur, *qua quis in disquisitionibus suis philosophicis doctrinas solidioribus rationibus innixas præ aliis seligit, a quocumque auctore vel Schola eas traditas inveniat.* E contra methodus systematica est illa, *qua quis ea animi dispositione Philosophiam colit, ut numquam a certo magistro vel Schola recedat, nisi quando dicta illorum falsa esse demonstrantur.* Utraque sane suos defensores inter ipsos

catholicos habet; et liberum est hac in re sentire, prout cuilibet melius visum fuerit. Nobis autem prima magis arridet, dummodo simul scholastica maneat, ut manere potest ac debet. Sint ergo propositiones sequentes.

PROPOSITIO PRIMA.

Ad excolendam cum fructu Philosophiam non opus est, ut philosophus jam formatus alicui particulari Scholæ addictus maneat: illis vero qui in ea formari cupiunt, expedit maxime ut uno tantum magistro utantur.

503.—*Prob. 1.^a p.*—Ut quis mediocri jam scientia philosophica instructus ultiores in ea progressus faciat; sufficit ei habere quædam principia fixa, quibus tamquam normis in ratiocinando regatur. Atqui, quamvis nulli particulari Scholæ addictus vivat, potest habere hæc principia. Habet enim: 1.^o principia cogitandi omnibus communia; 2.^o rationem bene ex-cultam et aptam ad ponderandum in qualibet quæ-stione rationes utrinque pugnantes; 3.^o criteria ad recte judicandum, quæ in secunda Logices parte consideravimus; 4.^o generale magisterium sapientum, quod magni ab illo faciendum esse in præcedenti articulo ostendimus; 5.^o denique infallibile magisterium Ecclesiæ, quo ab omnibus erroribus cum doctrinis religiosis pugnantibus tutissime liberabitur. Ergo....

504.—*Prob. 2.^a p.*—Qui in Philosophia informari cupit, aliquo certe magistro indiget, qui ejus rationem nondum satis instructam in philosophando dirigat ac juvet. Atqui expedit maxime ut magister iste sit unicus; tum propter unitatem doctrinæ, tum etiam

propter majorem facilitatem in directione præstanda ex parte magistri et capienda ex parte discipuli, nondum satis apti ad discernendum inter doctrinas et directiones diversorum magistrorum. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Methodus stricte philosophica ecclectica esse debet: cum hoc autem minime pugnat assumptio alicujus magni doctoris ab omnibus generatim probati in ducem ac magistrum; dummodo in ejus opinionibus sequendis debita prudentia servetur.

505.—*Prob. 1.^a p.*—1.^o Methodus stricte philosophica apta esse debet ad scientiam philosophicam semper magis ac magis perficiendam. Atqui sola methodus ecclectica habet hanc aptitudinem. Nam qui systematica utitur, opinionibus sui magistri aut Scholæ firmiter tamquam saxo adhæret, quamdiu illarum falsitas non demonstratur; ac proinde intra illarum circulum semper immotus manet. Ergo...

2.^o Methodus systematica magnorum virorum ingenia retardat, ne unquam recedant a placitis sui magistri aut Scholæ. Atqui hoc nocivum est scientiæ philosophicæ: siquidem, illa utentes nihil aliud facient quam repetere more discipulorum doctrinas ab aliis traditas. Ergo... Sane sanctus Thomas, Toletus, Suarez et alii insignes Aristotelis commentatores, systematicam methodum sequendo magnifica sua opera scripsissent numquam. 3.^o Vera philosophandi methodus postulat, ut philosophus singulas aggrediatur quæstiones animo amplectendi quæcumque probabiliora videantur. Sed qui methodum systematicam sequitur, aliam prorsus animi dispositionem habet; quia semper est paratus ad adhærendum placitis sui magistri, quamdiu falsa non demonstrantur.

Ergo... 4.^o Sine methodo ecclectica impossibile est illam animi libertatem habere, quæ requiritur ad veritatem in omni investigatione sincere quærendam. Alii enim timiditate ducti, alii ignorantia oppressi, alii denique amore suæ Scholæ abrepti, res aliter videre non poterunt quam Schola ipsorum illas videat. Atqui vera methodus philosophandi debet secum ferre prædictam animi libertatem. Ergo..... 5.^o Denique vera methodus philosophandi est illa, quam opere et sermone sapientissimi quique tenuere. Atqui hæc est ecclectica et non systematica, ut ex illorum scriptis manifeste patet. Ergo... Sane Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca, Quintillianus, Clemens Alexandrinus, Sanctus Augustinus, Magister Sententiarum, Sanctus Thomas, Sanctus Bonaventura, Catharinus, Durandus, Victoria, Canus, Toletus, Suarez, Vazquez, et quotquot magno cum fructu atque insigni laude Theologiam et Philosophiam excoluerunt; non aliam methodum sequuti sunt: ut quisque videre potest, illorum opera pervolutando ac testimonia ipsorum in Logica hispano sermone a nobis conscripta consulendo.

506. *Prob. 2.^a p.*—Cum doctrina alicujus præclari doctoris omnibus generatim probatur propter magnam illius soliditatem atque excellentiam; ipsa ratio dictat, ut eum in ducem ac magistrum eligant, quotquot in illa scientia florere student. Hoc enim semper fit in omni arte vel scientia; ut, cum quis magnus in illis esse cupit, magnos etiam ac summe probatos magistros adeat. Atque idcirco magnus Augustinus et insignis Aquinas Platonem et Aristotelem in magistros suos assumere non erubuerunt (1). Ergo cum

(1) Ob hanc etiam causam Societas Jesu Sanctum Thomam in suum doctorem elegit, dicens: «Cum autem doctrina

proposito perenni sequendi in omni inquisitione doctrinas probabiliores, in quo essentia methodi ecclecticæ consistit, minime pugnat assumptio alicujus magni Doctoris in ducem ac magistrum in studio Philosophiæ.

507.—*Prob. 3.^a p.*—1.^o Ecclectismus in prima hujus propositionis parte ostensus exigit, ut nulli unquam doctori aut Scholæ adhæreamus, relinquendo doctrinas ab aliis doctoribus aut Scholis melius probatas. Ergo ut methodus ecclectica non pugnet cum assumptione alicujus magni doctoris in ducem ac magistrum Philosophiæ; opus est debitam prudentiam in eo sequendo servare; et opinionibus illius cum reverentia simul ac libertate valedicere, quoties contrariæ ab aliis doctoribus defensæ melius probatæ inveniantur. 2.^o Hic est modus, quem in sequendo Sanctum Thomam magni doctores cum ipsis Academiis sequuti sunt; ut evidenter patet, perspectis eorum scriptis ac factis (1). Quod si quis hanc nostram sententiam

Sancti Thomæ et nobis a Constitutionibus commendetur, et ea sit, ut nulla occurrat solidior, aut securior, aut magis approbata; is a nostris ut doctor proprius haberi debet (*Epitome Instit. S. J. part. V, cap. V, sect. IV, n. 111*).» Hoc ipsum intendit Leo XIII in præclara sua Encyclica *Æterni Patris* in magnum totius christianæ reipublicæ et humani consortii confecta.

(1) Nostra Societas circa modum sequendi D. Thomam in Philosophia hæc sapientissima habet: «De Sancto Thoma nunquam non loquatur (*professor*) honorifice: libentibus illum animis, quoties oporteat, sequendo; aut reverenter et gravate, siquando minus placeat, deserendo (*Ratio Stud. Soc. Jesu. Reg. Profess. Philos., reg. 2.^a*).» «In quæstionibus mere philosophicis, aut in his quæ ad Scripturas et Canones pertinent, alios etiam sequi licebit, qui eas facultates magis ex professo tractaverint. (*Epitome Instit. S. J. n. 112*).» Canus (*de locis theol. prol. in lib. 12*), Catharinus (*lib. 4 annot. in Comment.*

miratur; vere is aut Scholasticorum opera non salutavit, aut vano et cæco studio partium abripitur. Ergo.....

Difficultates.

508.—Obj. I. Doctrina in hac thesi propugnata oponitur his, quæ in Encyclica *Æterni Petris* a Leone XIII præscribuntur. In ea enim vult summus Pontifex, ut philosophi omnes catholici ex purissimis Aquinatis fontibus doctrinas suas derivare curent. Ergo methodus non ecclectica sed systematica sequenda est.

Resp.—*Neg. ant.* Ad rat. addit. *Dist.* Vult summus Pontifex ut philosophi omnes catholici ex purissimis Aquinatis fontibus doctrinas suas *generalim* derivare curent, Conc.; *omnes prorsus, eum in omnibus et ubique sequendo*, *Neg.* Summus Pontifex vult ut doctores hodierni eo modo sequantur Sanctum Thomam, quo antiqui illum sequebantur, quando «in magnis illis humanæ sapientiæ domiciliis, tamquam in suo regno, Thomas consedebat princeps (1).» Jam vero doctores antiqui ita D. Thomam sequebantur, ut in aliquibus ab illo, licet cum reverentia et gravamine, recedere non dubitarent; cum optime scirent nullius hominis, quantumvis sapientis, opinabiles sententias tales esse posse, ut *numquam* contrariæ ab aliis doctoribus defensæ illis probabiliores existant.

509.—Obj. II. Ipsas etiam opiniones, quæ intra catholicam doctrinam continentur, desiderat sum-

Cajetani), et Durandus (*præfat. in Comment. in Magistrum*), omnes tres præclarissimi Ordinis dominicani magnum decus atque ornamentum, hoc modo sequendum a quovis cordato Sanctum Thomam, non solum in Philosophia, sed etiam in Theologia, et gravissimis verbis enuntiant et solidis rationibus probant.

(1) Leo XIII in Encyclica *Æterni Patris*.

mus Pontifex ad fluentia purissima suaviter deducere, quæ ex doctrinis Doctoris Angelici promanant; ut manifeste videre est in Litteris Leonis XIII, die 11 Septembris anni 1879 ad episcopum Vigevanensem directis. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.* Opiniones *gravioris momenti*, Trans.: *omnes*, Neg. Frustra autem recurrit adversarius ad Litteras Leonis XIII in objectione citatas. In illis enim sermo est *de systemate rosminiano* circa originem idearum, improbabili omnino et illi contrario, quod a Sancto Thoma et ab omnibus Scholasticis unanimiter defenditur, non autem *de omnibus opinionibus* Angelici Doctoris (2). Ceterum summus Pontifex satis luculenter enuntiat in Encyclica Æterni Patris *sapientiam* tantummodo Divi Thomæ a philosophis catholicis esse sectandam, non vero illas opiniones, quæ pugnent cum aliis probabilioribus a ceteris doctoribus defensis.

510.—Obj. III. Philosophia ecclectica est Religioni noxia ac proinde ab omnibus catholicis rejicienda est. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.* Philosophia ecclectica *simul et rationalistica*, Conc.; ecclectica *simul et scholastica*, Neg. Primam quidam Rationalistæ cum Cousino defendunt et est reprobanda; secundam vero omnes sapientes catholici sectati sunt et, nostra sententia, sectari debet omnis cordatus philosophus. Hæc latius invenies tractata in nostra Logica hispane scripta.

(2) Præ oculis habeo, dum hæc scribo, Litteras Leonis XII, in objectione citatas.

ARTICULUS IV.

De methodis ideali et experimentalis.

511.—Methodus idealis in procedendo semper a priori consistit, omni prorsus experientia remota: experimentalis e contra soli experientiæ inhæret, quavis doctrina speculativa rejecta. *Prima* Transcendentalibus Germanis placuit: qui, duce Kantio, totam humanam Philosophiam ex veritate aliqua deducere conati sunt supra omnem prorsus experientiam existente. *Secunda* vero hodiernis Positivistis arridet: qui sola experimentalia curant, et quidquid limites nostrorum sensuum excedit, id totum meris fabulis amandant. Unde pura nomina et abstractiones vanas reputant, quidquid in Ontologia et in universa Metaphysica philosophi considerant; et sola physica ac sensibus pervia inter objecta humanæ sapientiæ recensent. *Utraque* vero falsissima est: hinc, ut veram doctrinam hac in re propugnemus, sit sequens

PROPOSITIO.

*Vera philosophandi methodus nec
pure idealis, nec pure experimentalis dici debet,
sed ex utraque mixta.*

512.—*Prob. 1.^a p.*—1.º Nulla datur respectu nostri intellectus scientia transcendentalis, quæ ab omni prorsus experientia præscindat; siquidem omnis nostra cognitio incipit a sensibus. Ergo... 2.º Methodus pure idealis exerceri a nobis nequit circa veritates ordinis physici, quales sunt multæ quæ pertinent ad Cosmologiam et Psychologiam. Ut enim has veritates ex aliqua pure *a priori* deduceremus, deberemus illas videre in divina Essentia; in qua, tamquam in

fonte rerum primario, omnia eminenter continentur. Essentiam autem divinam in se ipsa perspicere nobis naturaliter impossibile est; cum ad Dei cognitionem aliter ascendere nequeamus quam per contemplationem hujus universi sensibilis. Ergo...

513.—*Prob. 2.^a p.*—Methodo pure experimentalis impossibilis prorsus redditur omnis omnino scientia; illis ipsis non exclusis quæ dicuntur experimentales: ergo... *Prob. ant. 1.^o* Sine veritatibus ordinis metaphysici atque idealis impossibilis prorsus est omnis discursus: nam sine principiis *contradictionis* et *identitatis*, quæ ad ordinem idealem et metaphysicum pertinent, nemo unquam ratiocinari valet. Ergo... *2.^o* Sine principiis *causalitatis* et *rationis sufficientis*, quæ rursus ad ordinem idealem spectant et supra omnem prorsus experientiam sunt, impossibile est vel unam veritatem demonstrare ex his, quas scientiæ physici pertractant. Ergo... (1)

514.—*Prob. 3.^a p.*—Sequitur ex præcedentibus. Nam, si nec ex solis ideis puris, nec ex solis notitiis experimentalibus philosophica scientia oriri potest, manifestum est utrasque a philosopho adhibendas esse, ac proinde methodum philosophandi ex ideali et experimentalis mixtam esse oportere.

Solvitur quædam difficultas.

515.—Ipsa principia rationis in experientia fundantur; intellectus enim noster in efformandis suis ideis dependet a sensibus. Ergo tandem vera philosophandi methodus non est nisi pure experimentalis.

(1) Cfr. in hanc rem P. Pesch. *Institut. Philos. nat.* nn. 8-11, ubi latius positivismus impugnatur.

Resp.—*Neg. ant.* Ad rat. addit. *Distinguo sic:* Intellectus noster in efformandis suis ideis dependet a sensibus *extrinsece*, seu *tamquam ab instrumentis subministrantibus ei materiam suarum cogitationum*, Conc.: *intrinsece et tamquam a causis propriis nostrarum idearum, quasi omnes idæ nostræ forent experimentales*, Neg. Sensus suis operationibus nihil aliud faciunt respectu intellectus, nisi applicare ei materiam, circa quam ille exerceat naturalem suam activitatem. Sic intellectus ideam *trianguli* ex. gr. efformare sibi nequit, quin prius ei per sensus exhibitum fuerit aliquis triangulus materialis et concretus; sed idea hæc spiritualis et universalis omnem prorsus experientiam superat et ad omnes triangulos possibiles se extendit, ac proinde dici nequit in experientia fundata.

ARTICULUS V.

De methodis inductiva et deductiva, seu analytica et synthetica.

516.—Diximus supra quid per inductionem seu analysim, quid vero per deductionem seu synthesim intelligatur (30, 206). Nunc ergo naturam utriusque examinare oportet, et de methodo tam inductiva quam deductiva aliquid dicere.

517.—I. Et quidem ad *primum* quod spectat, in deductione ex universalibus ad particularia et ex causis ad effectus ratiocinando descendimus; in inductione e contra ex particularibus ad universalia et ex effectibus ad eorum causas assurgimus. *Prima* operatio est synthetica: quia res quo universaliores, eo sunt simpliciores; ac proinde ex conceptu v. gr. *hominis*, descendimus ad conceptus, v. gr. *Petri, Pauli*, etc.; componendo cum eo notas individuantibus ipsorum; et ex conceptu causæ, quæ est

quoddam universale in causando, descendimus ad concipiendos suos particulares effectus, componendo cum ea actiones ab ipsa emanatas. *Secunda* autem operatio est analytica: quia res quo minus universales, eo sunt magis compositæ (67): unde præscindendo a notis individuantibus alicujus objecti concreti v. gr. *Pauli*, ascendimus ad conceptum universalem et specificum illius seu *hominis*; et considerando modum uniformem et constantem, quo plures effectus ejusdem speciei producuntur in diversis rerum adjunctis, assurgimus ad cognitionem causæ illos producentis.

518.—Analysis alia *physica*, alia *metaphysica* est. Prima *chimica* vocatur, atque *in resolutione alicujus compositi physici in sua componentia* consistit; ut cum quis *aquam* resolvit in *oxygenium* et *hydrogenium*. Secunda nomen accipit *inductionis*, atque *in mentali conceptuum resolutione* sita est; ut cum ex consideratione effectuum ad ipsorum causas cognoscendas assurgimus. Duplici huic analysi duplex etiam synthesis respondet, alia scilicet *physica*, qua ex diversis componentibus unum compositum physicum efformamus, ut ex *oxygenio* et *hydrogenio aquam*; alia vero *metaphysica* seu *deductio*, qua, post cognitam ope inductionis naturam alicujus causæ, legem aliquam generalem circa suos effectus ex illa deducimus.

519.—II. Ad *secundum* autem quod attinet, methodus analytica *ea dicitur, in qua præcipue inducendo ratiocinamur*; synthetica vero est illa, *in qua præcipue deductione in ratiocinando utimur*. Dico *præcipue*: quia in omni discursu habetur analysis et synthesis, cum ideis abstractis et veris judiciis constet. Quod etiam omni scientiæ convenit; nam sine abstractione et generalizatione nulla obtineri potest. Unde, cum dicimus aliquem auctorem methodum analyticam aut syntheticam in suis ratiocinationibus sequi; hoc tantum significat analysim aut synthesim in illis *prævalere*, non vero esse unicam.

520.—Quænam vero ex his methodis tenenda sit; hoc ex circumstantiis tum materiæ tum etiam perso-

narum dignoscendum est. Si enim aliquis proprio Marte aliquid invenire velit; ordinarie methodus analytica ab illo præferenda erit. E contra autem, si scientiam jam adquisitam aliis tradere intendat; regulariter ad syntheticam ipsum recurrere oportebit. Ratio horum est; quia per analysim tuta via inventor procedit, per synthesim autem magister suis discipulis doctrinam suam facilius tradit. Hinc methodus analytica *methodus inventionis* appellari solet; synthetica autem *methodus magisterii*. Pariter, si materia considerata experimentalis est; tunc methodo analytica in ejus studio procedendum est, ut fit in Physica, Cosmologia, et Psychologia: si vero sit idealis; sæpe saltem synthetica magis expediet, ut fit in Ontologia et Theodicea. Atque hæc sufficiant de methodis analytica et synthetica. Qui plura cupiat, adeat nostram Logicam hispane scriptam.

CAPUT. II.

De partibus seu instrumentis methodi.

521.—Methodi partes aliæ *generales*, aliæ *particulares* sunt. Generales in *legibus illis consistunt*, quibus *subjici philosophus debet*, ut scientiam et sua propria inventionem assequatur, et inventam aliis ordinate tradere possit. Particulares sunt multæ; præcipuæ tamen ad *definitionem*, *divisionem*, *demonstrationem*, *analogiam* et *hypothesim* revocantur; ex quibus tres tantum ultimæ hic remanent tractandæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De methodi legibus.

522.—Methodi leges aliæ *communes* utrique methodo, aliæ vero *propriæ* sive analiticæ, sive syntheticæ sunt. De illis ergo singillatim, breviter tamen, nobis agendum est.

I. Leges generales sunt hæ: 1.^a *Nemo investigationem aut expositionem scientificam aggrediatur, qui se ineptum inveniatur ad illam perficiendam.*

2.^a *Tam investigando quam investigata aliis tradendo, a facilibus incipiendum atque ex his paulatim ad difficiliora procedendum est.*

3.^a *Res tractanda in suas partes dividatur, ac de singulis accurate et diligenter agatur.*

4.^a *Principia, quibus tota rei inquisitio aut expositio innititur, solida sint ac certa.*

5.^a *Non modo principia, sed conclusiones etiam omnes, quæ ex illis deducuntur, eadem certitudine constare debent, in quantum fieri possit.*

6.^a *In usu sermonis claritas quammaxime curanda est; vocabulis obscuris aut non adhibitis aut bene explicatis, rei que cujuslibet tractationi definitione nominali præmissa.*

Ratio harum legum per se ipsa manifesta est.

523.—II. Leges methodi analyticæ hæ præsertim sunt: 1.^a *Ante quam rei cujuslibet inquisitionem incipiamus, examinare oportet an quæstio proposita simplex sit vel complexa.* Ratio est; quia si hoc secundum accidat, forte juxta diversas quæstionis partes diversas etiam solutiones invenire necesse sit.

2.^a *Definito jam quæstionis statu, phænomeni examinandi adjuncta omnia bene perpendantur, si de rebus experimentalibus agitur; vel accurata notionis evolgen-*

dæ analysis adhibeatur, si res consideranda ad ordinem idealem spectat. Ratio hujus legis manifesta est: sine illius enim observantia impossibilis est, sive in ordine physico, sive in ordine ideali, bona inductio. Porro phænomena et *observatione*, et *experimentatione* etiam, si id fieri liceat, examinanda sunt. Prima ex his operationibus in *attentione voluntaria ad phænomenum sponte naturæ adveniens* consistit, secunda vero in *reproductione phænomeni varia et multiplici* sita est. Hanc phænomeni reproductionem variam et multiplicem diversis modis adhibere possumus; de quibus physici ac chimici tractare solent. Nobis vero, ad cognoscendam cujuslibet phænomeni causam, hæc regula generalis sufficiat a P. Liberatore tradita: «Ea est habenda causa phænomeni cujuslibet, quæ ubi adest, phænomenum adest; ubi demitur, phænomenum demitur; ubi crescit, phænomenum crescit; ubi decrescit, phænomenum decrescit (1).»

3.^a *Notiones partiales per analysim obtentæ ad principium aliquod generale per synthesim referendæ sunt, ut hac ratione unitatem scientificam sortiantur.* Ratio est: quia donec per synthesim in unum quoddam totum prædicto modo reducantur; non efformant vere scientiam, sed sunt *cognitiones quædam sparsæ*. Hinc optime dicitur a philosophis, analysim non esse nisi *præparationem ad scientiam*; scientiam vero tunc proprie incipere, cum adhibetur synthesis.

524.—III. Leges methodi syntheticæ his continentur: 1.^a *Definiantur ac bene explicentur idæ generales, quibus totus syntheticus processus inniti debet.*

2.^a *Clare etiam explicentur principia generalia, quæ ex his ideis promanant.*

3.^a *Fiat gradatim descensus ex rebus universalioribus ad minus universales atque ex his ad individuas et concretas, ut apte organismus scientificus servetur.*

(1) Liberatore, *Philos. trienn.* Logicæ n. 97.

4.^a *Illi ordinentur propositiones, ut subsequentes ex antecedentibus lumen accipiant, atque ex principiis consequentiæ inferantur.*

5.^a *Denique tractentur res juxta ordinem ipsis convenientem; ita ut ante omnia veniat definitio nominalis, deinde vero expositio essentiæ, existentiae, proprietatum, et effectuum rei tractandæ.*

Omnes istæ leges claræ sunt per se ac proinde ab illis probandis supersedemus.

ARTÍCULUS II.

De demonstratione.

525.—*Demonstratio definitur evidens illatio alicujus conclusionis ex judiciis evidentibus.* Demonstratio præcipuum methodi instrumentum est; ea enim sola illius finis obtinetur. Proinde ejus naturam, species ac leges diligenter considerare oportet.

526.—I. Et quidem primo ad demonstrationis naturam quod spectat, ea sufficienter nobis nota fiet; si elementa quibus constat, accurate explicemus. Ea autem sunt tria, scilicet *principium, medium et conclusio* seu *thesis*.

Principium est illa propositio universalis, qua tamquam fundamento in demonstratione utimur. Principia in *primaria* et *secundaria* distribuuntur. *Primaria*, quæ etiam *per se nota* atque *indemonstrabilia* vocantur, *illa sunt, quæ ab omnibus generalim hominibus cognoscuntur sola terminorum intellectione*, v. gr. hæc: *Totum est majus sua parte; Nihil potest esse simul et non esse*, etc. Hæc principia, si apud omnes omnino homines ratione utentes nota habentur; *communia* sunt et *axiomata* seu *dignitates* appellantur: si vero

solis sapientibus pateant, eo quod illi soli sciunt terminorum, quibus enuntiantur, significationem; aliorum *propria* dicuntur.

Secundaria, quæ etiam *per alia nota et demonstrabilia* nuncupantur, *ea sunt, quæ ita in demonstratione aliqua fundamenti locum tenent, ut et ipsa sint in aliis fundata*. Tale est ex. gr. hoc: *Anguli trianguli duos rectos adæquant*. Hæc principia tandem in aliquo primario et per se noto quiescere debent: aliter enim nulla demonstratio proprie dicta fieri posset, cum in illa tam præmissæ quam conclusio evidentes esse debeant.

527.—Deinde medium demonstrationis est *propositio illa, quæ nobis evidenter indicat conclusionem seu thesīm contineri in principio*. Medium tenet locum præmissæ minoris in argumentatione, principium autem locum præmissæ majoris. Ratio est; quia in extremo majore, utpote prædicato conclusionis, virtualiter continetur extremum minus tamquam unum ex suis inferioribus ac proinde etiam tota conclusio: unde præmissa major debet esse principium demonstrationis, præmissa autem minor medium.

Medium prædictum aliud *contingens*, aliud *necessarium* est. Contingens dicitur *illud, cujus oppositum non repugnat*, v. gr. hoc: *Corpora existunt*. Necessarium vero est *illud, cujus oppositum repugnat*. Potest autem aliquid repugnare *absolute* vel *hypothetice*; ac proinde necessarium potest esse *absolutum* vel *hypotheticum*. Præterea medium dividitur in *metaphysicum*, *physicum* et *morale*; secundum quod enuntiet propositionem pertinentem ad ordinem metaphysicum, physicum, vel moralem. Quia vero elementum differentiale in demonstratione ex medio illius sumitur; idcirco argumenta etiam ad demonstrandum assumpta in metaphysica, physica et moralia communiter distribuuntur.

528.—Denique conclusio seu thesis est *propositio illa, quæ ex principio et medio evidenter infertur; quæque proinde in principio ita continetur, ut hæc continentia per medium sit nobis manifestata*. Ut conclusio evidens existat, debent evidentia fulgere et principium et medium et continentia conclusionis in principio; quia ex his omnibus dependet veritas conclusionis, quatenus conclusio est.

529.—Ut sensibili quodam modo quæ de natura demonstrationis dicta sunt, omnibus pateant, hanc nobis tabellam subicere liceat:

Argumentum metaphysicum.	{	<i>Principium.</i>	Non datur ens contingens sine necessario.
		<i>Medium.</i>	Atqui datur ens contingens.
		<i>Conclusio.</i>	Ergo datur ens necessarium.
Argumentum physicum.	{	<i>Principium.</i>	Non datur ordo sine ordinatore.
		<i>Medium.</i>	Atqui datur in hoc mundo magnus ordo.
		<i>Conclusio.</i>	Ergo datur aliquis magnus ordinator rerum mundanarum.
Argumentum morale.	{	<i>Principium.</i>	Non potest non esse verum illud, quod omnes homines tale judicant.
		<i>Medium.</i>	Sed omnes homines conveniunt in admittenda Dei existentia.
		<i>Conclusio.</i>	Ergo Deus vere existit.

530.—II. Sed jam ad explicandas demonstrationis species veniamus. Atque in primis demonstratio dividitur in *directam* et *indirectam*. Harum *prima* ostendit directe conclusionem aliquam esse veram, tamquam legitime deductam ex veritatibus evidentibus; *secunda* autem indirecte, demonstrando scilicet propositionem illi contradictorie oppositam esse falsam. Sic, si agitur de demonstratione directæ existentiae Dei, potest argui in hunc modum: *Non datur ens contingens sine necessario: atqui datur ens contingens: ergo datur ens necessarium seu Deus*. Eadem

veritas indirecte sit ostendi posset: *Si non daretur ens necessarium, omnia entia nunc existentia essent contingentia: atque absurdum est omnia entia nunc existentia contingentiter existere; quia sic potuisset fieri ut nullum ex illis unquam extitisset, quod omnino repugnat. Ergo.....*

531.—Deinde demonstratio alia est *a priori*, alia vero *a posteriori*. Harum prima, quæ etiam *apodictica*, *absoluta*, *rigorosa*, etc., nuncupatur, est *illa, qua ex causa effectum inferimus et ex essentia proprietates*: secunda vero, quæ etiam *non apodictica* et minus *rigorosa* dicitur, est *ea, qua ex effectibus causam et ex proprietatibus essentiam cognoscimus*.

532.—Circa demonstrationem *a priori* notandum est, eam esse *perfectam*, cum rem demonstrat ex suis principiis immediatis; *imperfectam* vero in casu contrario. Ratio est: quia quando demonstratur res ex suis principiis immediatis, non solum videtur veritas illius, sed etiam ratio propria et peculiaris cur talis sit; quod non accidit in casu contrario. Circa alteram vero *a posteriori* animadverti debet, immerito ab aliquibus negari eam esse veram demonstrationem: in illa enim verificatur, non secus ac in prima, definitio demonstrationis supra tradita. Verum quidem est medium demonstrationis in ea non esse *quoad se* sed tantum *quoad nos* prius re per ipsum demonstrata. Sed ad veram et proprie dictam demonstrationem hoc ultimum sufficit; quia sic jam procedimus *ex notis ad ignota*, faciendo verum discursum et unum *ex* altero evidenter cognoscendo. Ni ita sentiamus, demonstrationem de existentia Dei habebimus nullam; quia Deus non potest aliter ratione nostra naturali cognosci quam ex creaturis.

533.—III. Denique ad tertium quod attinet, demonstrationis leges sunt sequentes:

1.^a *Perspicue proponatur thesis demonstranda*. Hoc patet ex his, quæ supra diximus circa methodi leges; quæ omnes ad demonstrationem quoque applicari debent.

2.^a *In demonstratione omnia debent esse evidentia; principium scilicet, medium et conclusio, etiam forma*

liter ut talis. Ratio est: quia in hoc præcise distinguitur demonstratio a quavis alia probatione.

3.^a *Demonstratio directa indirectæ præferatur, quando ambæ sunt possibiles.* Ratio est: quia demonstratio directa rationem nobis *positivam* tradit veritatis conclusionis; dum e contra indirecta nonnisi *negativam* adducit, ab absurdis argumentando. Non semper tamen possibilis est; ut accidit in rebus per se evidentibus: tunc vero ad indirectam recurrendum erit. Hoc modo refellimus Scepticos, qui res omnes etiam evidentissimas perfricta fronte negant.

4.^a *Vitentur diligenter omnia argumentationis vitia, tam ex parte materiæ, quam ex parte formæ.* Ratio hujus legis per se evidens est (252-263).

ARTICULUS III.

De analogia.

534.—Analogia, ut ex supra dictis constat (98), est *similitudo diversorum in eadem forma.* Hinc argumentum analogiæ, de quo hic sermo habetur, definiri potest: *Argumentatio, qua ex notis ignota inferimus propter similitudinem inter utraque existentem.* Fundamentum, cui proxime innititur argumentum hoc, est similitudo dicta; ultimum vero in quibusdam principiis generalibus consistit, quæ quidem ad hæc duo revocantur: *Hæc rerum universitas legibus generalibus et constantibus sapientissime gubernatur.—Causæ similes etiam similes effectus producunt: quæ autem contrarios causant, contrariæ inter se existunt.*

535.—Argumentum ex analogia desumptum ordinarie nonnisi probabilitatem continet: similitudo enim inter diversa analogata existens minime probat proprietatem aliquam uni ex illis intrinsecam cæteris etiam naturaliter convenire. Hoc tamen non obstante, non parvæ utilitatis esse solet: consideratione namque simili-

tudinum inter res aliquas intercedentium ducitur mens ad quaedam invenienda, quæ secus illi ignota forent. Aliquoties etiam in plenam certitudinem adducit; quando nempe similitudo inter analogata est omnino perfecta. Sic, ex consideratione similitudinis perfectæ, quæ inter belluas et homines datur circa organa sensoria et eorum usum, certissime inferimus belluas, non secus ac nos, vera sensibilitate gaudere.

536.—Leges circa argumentum analogicum hæ sunt: 1.^a *Argumenta hujus generis nec pro nihilo habenda; nec tanti facienda, ut illis tamquam plane demonstrativis adhæreamus.* Ad conjectandam enim veritatem inserviunt quidem; minime autem ad illam ostendendam, saltem ordinarie.

2.^a *Argumentum analogicum nec nimis extendi, nec nimis etiam restringi debet; sed pro gradibus similitudinis prudenter est moderandum.* Propter hujus legis inobservantiam quidam belluis sensibilitatem abnegarunt; alii autem eis etiam intelligentiam immerito concesserunt.

ARTICULUS IV.

De hypothesi.

537.—Hypothesis seu suppositio est *propositio quædam probabilis, quam ad tempus tamquam veram supponimus ad quasdam res nobis ignotas aliquo modo explicandas.* Differt quidem in se a *theoria* et *systemate*; quia hæc non modo probabilem sed certam quoque rerum explicationem aliquando exprimunt. Solet autem cum illis confundi; quia *theoria* ac *systema*, non secus ac *hypothesis*, pro explicatione probabili non raro sumuntur. Imo ipsum nomen *scientiæ* ad indicandas cognitiones probabiles et minime certas a quibusdam hac nostra ætate adhibetur. Sed hoc minime tollerari debet; ne *scientia* cum *probabilitate* turpiter confundatur: rem namque aliquam tunc proprie *scimus*, cum illam certo cognoscimus.

538.—Hypothesis in scientiis aliquando *necessaria* est; ad *inchoandam* scilicet investigationem circa aliquam rem nobis ignotam. Cum enim phænomenum cognoscimus et illius causam ignoramus; ad illam detegendam suppositionibus quibusdam, quæ materiam investigationi præbeant, indigemus. Aliquando vero *summe utilis* est; ad *finiendam* nempe investigationem, quæ aliter sine ullo prorsus fructu haberetur. Quando enim, post multas circa rem quandam indagaciones factas, nihil certi invenimus; ad probabilem aliquam illius explicationem confugere oportet, ne inexplicata omnino maneat.

539.—Hypotheses ad tempus factæ sæpe, processu temporis, *falsæ* deprehenduntur inventione veræ causæ, quæ illarum falsitatem nobis manifestat; et tunc desinunt esse propositiones probabiles atque in certo falsas convertuntur. Aliquando autem in doctrinas certo veras abeunt, eo quod causam veram a nobis per illas quæsitam in se continere cernuntur; et tunc desinunt esse hypotheses, ut *thesium* dignitatem assumant. Ut vero hoc ultimum fiat, hypothesis non modo debet esse apta ad reddendam rationem rerum, ad quas explicandas inventa fuit; sed etiam *unice apta*. Secus enim alia etiam inveniri fortasse poterit, quæ pari aptitudine gaudeat; quæque proinde parem probabilitatem præ se ferat.

540.—Ut hypothesis aliqua acceptabilis existat, sequentibus debet conditionibus constare: 1.^a *Non sit ad arbitrium inventa sed rei ipsius necessitate inducta*. Ratio est; quia secus scientiæ noceret, socordiam investigatorum fovendo, illosque in probabili quadam et imperfecta causarum ignotarum cognitione continendo.

2.^a *Non sit absurda, nec cum veritate aliqua certo cognita pugnet*. Debet enim in se continere causam probabilem rerum, quarum explicationem aggredi-

mur; quæ quidem in re absurda aut manifeste falsa inveniri nequit.

3.^a *Sit apta ad explicandas res, ad quarum explanationem assumitur.* Aliter enim inutilis foret seu ad finem scientiæ assequendæ inepta.

CAPUT III.

De initio philosophandi.

Cum methodus processus quidam sit, quo mente ratiocinantes ex uno termino ad alium discurremus; inter duos terminos contineri debet, quorum alter sit initium philosophandi, alter vero finis. In hoc ergo capite de primo hoc termino acturi, rem totam in tres distinctos articulos partiemur.

ARTICULUS PRIMUS.

De doctrinis erroneis ad initium philosophandi spectantibus.

541.—Circa initium philosophandi aberrarunt in primis *Sceptici* seu *Investigatores*; juxta quos initium omnis scientiæ a dubitatione universali desumi debet. Porro *Sceptici* hi ab illis discriminantur, quos supra refutavimus, quique *Acataleptici* vocantur (348). Non enim negant aptitudinem intellectus nostri ad assequendum verum; sed dicunt tantummodo eum nondum illud fuisse assecutum, ac proinde totam philosophi sapientiam in illo quærendo consistere.

Secundus error est *Reidianorum*, dicentium initium prædictum in actu quodam instinctivo reponendum esse, quo veracitatem nostrarum facultatum cæce credimus.

Tertius denique pertinet ad sectatores *Philosophiæ Transcendentalis*; qui scientiam humanam vel ab *Ego puro*, vel ab

tio discurrere incipiat, ac proinde initium philosophandi reponi nequit in dubitatione universali.

543.—*Prob. 2.^a p.*—Ex prima parte initium prædictum reponendum est in re aliqua positiva. Atqui hæc res debet esse per se nota; nam in solis veritatibus per se notis quiescere ratio tamquam in ultimo fundamento potest. Ergo....

Solvitur quædam difficultas.

544.—Philosophia nihil debet tamquam certum supponere, sed omnia e contra positive demonstrare: tum quia secus aliquid sine fundamento admitteret; tum etiam quia fundamentum cujuscumque certitudinis est veracitas nostrarum facultatum, cujus examen ad philosophum pertinet. Ergo, ut quis incipiat ædificium scientiæ, debet prius omnes suas cogitationes certas in dubium revocare.

Resp.—*Neg. ant.* Ad prob. 1.^{am} *Neg. assert.* Sufficit enim philosopho ad incipiendam rationabiliter scientiam fundamenta certitudinis examine attento et minime *dubitativo* considerare. Fundamenta enim hæc evidenti soliditate gaudent: et nemo nisi insanus et ad philosophandum ineptus debet aut potest ea in dubium revocare; quia hoc faciendo scientiam ipsam impossibilem redderet.

Ad rat. 2.^{am} *Disting.* Ad philosophum pertinet veracitatem nostrarum facultatum examinare *examine reflexivo et cum certitudine naturali veracitatis hujus compatabili*, Conc.; *examine dubitativo et cum hac certitudine pugnante*, Neg. In ipso examine reflexo et philosophico nostrarum facultatum debemus supponere has facultates convenienter suo objecto applicatas nunquam fallere: aliter enim examen inutile, imo et scientiæ ipsi ruinosum, insano labore instituemus.

ARTÍCULUS II.

De vero philosophandi initio.

In hoc sapientissima Scholasticorum doctrina tenenda est, dicentium terminum a quo incipere ratio debet suas operationes scientificas, in principiis evidentibus ac per se notis reponendum esse, agendo de ordine *ideali*; in perspicuis autem tum sensuum tum etiam conscientiae perceptionibus, agendo de ordine *factorum*. Sit ergo sequens

PROPOSITIO.

Initium philosophandi, quoad partem idealem, in veritatibus evidentibus ac per se notis; quoad partem vero empiricam, in perspicuis tum sensuum tum etiam conscientiae perceptionibus reponi debet.

545.—*Prob. 1.^a p.*—In illo reponendum est initium philosophandi quoad partem idealem, in quo tamquam ultimo fundamento quiescit philosophi ratio, quando agit de veritatibus pertinentibus ad ordinem idealem. Illo enim invento, statim incipit tuto ac secure construere ædificium suum scientificum, quod intendit. Atqui ultimum, in quo tamquam fundamento quiescit philosophi mens, quando agit de veritatibus ordinis idealis, sunt veritates evidentes ac per se notæ: nam veritates hæ supra nullas alias fundantur et aliunde, utpote generales et universalissimæ, exercere optime possunt officium *veri principii* in demonstratione (526). Ergo....

546.—*Prob. 2.^a p.*—In illo reponendum est quoad partem empiricam initium philosophandi, quod præbet nobis notitiam certam de rebus pertinentibus ad

ordinem factorum. Atqui quod præbet nobis hanc notitiam, sunt sensus ac conscientia suis perspicuis perceptionibus. Ergo.....

Difficultates.

547.—Obj. I. Si initium philosophandi reponatur in veritatibus evidentibus per se notis, certitudo philosophica non erit a vulgari diversa, sive quoad principia, sive quoad conclusiones ex illis deductas. Atqui hoc est falsum. Ergo...

Resp.—*Dist. maj.* Non erit diversa a vulgari *substantialiter*, Conc.; *quoad modum et perfectionem*. Neg. Hinc *contradist. min., neg. consequentiam*. Certitudo philosophica non differt a vulgari nisi quoad modum suæ generationis; qui est multo magis perfectus in homine sapiente quam in vulgari (308-309). Proinde, reponendo initium philosophandi in veritatibus prædictis, optime discernimus utramque certitudinem, et quoad principia, et quoad conclusiones: quia certitudo hominis vulgaris est *spontanea* et sine ulla fere industria comparata, altera autem hominis sapientis est *reflexa* et maxime *methodica*.

548 —Obj. II. Initium philosophandi reponi unice debet in conscientia subjecti cogitantis. Nihil enim facto hoc interno inveniri solidius potest; cum conscientia subjecti cogitantis ipsa sui dubitatione aut negatione affirmetur. Ergo falsa est prima propositionis pars.

Resp.—*Neg. ant.* Ad prob. *Trans. ant., neg. cons.* Cum enim alia etiam plura, præter existentiam subjecti cogitantis, immediate evidentia dentur; omnia illa in suo ordine fundamentum solidum offerre philosopho queunt, ædificium scientiæ suæ construere volenti.

549.—Obj. III. Conscientia subjecti cogitantis est ultimum fundamentum totius nostræ certitudinis; siquidem est conditio essentialis ad illam ac proinde quid illa prius. Ergo...

Resp.—*Dist. ant.* Conscientia subjecti cogitantis est ultimum fundamuntum etc. *per modum conditionis*, Conc.; *per modum motivi*, Neg. Conscientia subjecti ex se est prorsus incapax generandi vel ullam veritatem universalem, cum non contineat in se nisi *mera facta* psychologica. Ergo, cum minime fundet per modum motivi ullam veritatem ordinis idealis, sed solummodo inserviat ad testificandam existentiam cogitationum subjecto cogitanti inhærentium; nullo modo potest dici *initium philosophandi* aut *principium scientiæ philosophicæ*.

ARTICULUS III.

Quid censendum sit de dubitatione cartesiana.

550.—Cartesius, ut methodum philosophandi in scholis sua ætate communiter regnantem everteret, aliam eidem sufficere conatus est, quæ nomine *dubitationis methodicæ et cartesianæ* ab omnibus cognoscitur. Consistit autem dubitatio methodica *in dubitando per aliquod breve tempus de veritate omnium cogitationum nostrarum, ut per reflexionem philosophicam libere ac sine ullo præjudiciorum influxu totum ædificium scientificum a fundamentis ipsis construere per nostram individualement rationem valeamus.*

Non convenit inter philosophos utrum hæc dubitatio seria et vere sceptica, vel tantum ficta et mere supposita fuerit (1)

(1) Communius quidem seria creditur et nullo pacto distincta a sceptica; ego vero contrarium dicendum existimo, ut ex toto contextu *Meditationum*, in quibus de hac dubitatione

Sed quidquid hac de re sentire libeat, dubitatio cartesiana ut ruïnosa prorsus et ad scepticismum atque rationalismum ducens reprobanda est. Sit ergo sequens

PROPOSITIO.

*Dubitatio methodica Cartesii ut inutilis, absurda
et ruïnosa rejicienda est.*

551.—*Prob. 1.^a p.*—Ad inquirendam philosophice veritatem minime opus est revocare in dubium veritatem omnium prorsus cogitationum prius adquisitarum; cum sufficiat veritates immediate evidentes attenta consideratione pensare ac per illas de cæteris omnibus iudicium ferre. Aliunde vero dubitatio prædicta nullam prorsus scientiæ utilitatem affert; sed e contra est illi maxime noxia, ut statim probabitur. Ergo ut inutilis et otiosa rejicienda est.

552.—*Prob. 2.^a p.*—Cartesius, ex una parte, dubitatione sua universali ipsam intelligentiæ veracitatem in dubium revocat; ex altera vero veracitatem hujus facultatis circa iudicium, quo suam propriam existentiam affirmat, absque dubio admittit: legitimitatem evidentiæ et veracitatem rationis ut res dubias habet; et tamen veracitati rationis innixus, evidentiam idearum in criterium universale atque omnino securum erigit: de objectivitate idearum, quantumvis evidentissimarum, dubitat; et simul existentiam Dei ex objectivitate ideæ, qua illum sibi repræsentat, deducere studet: veracitatem suarum idearum ex veracitate Dei probat; et Dei ipsius existentiam non aliunde ostendit, quam ex veracitate ideæ qua illum mente

sermo est, quasque attente legi ac consideravi, manifeste inferri videtur.

concipit. Atqui hæc prorsus absurda et contradictoria sunt. Ergo..... His adde dubitationem hanc nonnisi magnam violentiam sibi inferendo obtinere homines posse: si tamen possint. Nam de veritatibus evidentibus dubitare, quantumvis velimus, minime possumus. Absurdus autem dicendus est omnis conatus contra naturam procedens; ac proinde dubitatio methodica etiam ex hac parte ut absurda rejicienda est.

553.—*Prob. 3.^a p.*—Dubitatio methodica januam aperit absurdissimis erroribus *scepticismi*, *idealismi* et *rationalismi*. Nam *primo*, quomodocumque intelligatur, sive seria, sive ficta; omnem prorsus certitudinem impossibilem reddit: cum, veracitate idearum, etiam suppositive, de medio sublata, nihil jam pro certo haberi queat. *Deinde*, dubitatione prædicta ideæ nostræ in meras formas subjectivas et objectis realibus vacuas convertuntur: unde formalismus kantianus enascitur et cum eo idealismus absolutus. *Denique*, dubitatione memorata ratio individualis cujusque sibi ipsa relinquitur, ut ab omnium sapientum dictis atque argumentis præscindat ac nova semper in dies systemata cudat; in quo consistit tota essentia rationalismi. Ergo.....

CAPUT IV.

De scientia, ceu ultimo methodi termino.

Ut scientiæ naturam, ad quam veluti ad suum finem sponte sua ordinatur methodus, explicemus; præsens caput in tres articulos partiemur: in quorum primo notionem scientiæ dabimus, in secundo vero diversas ejus species enumerabimus, in tertio denique subalternationem scientiarum breviter exponemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De scientiæ natura.

554.—Scientia imprimis *improprie* ab aliquibus sumitur pro *qualibet doctrina etiam probabili et incerta*; quod tamen imitandum non est, ut supra diximus (537). Secundo *proprie* adhibetur ad significandas *quasvis cogitationes certo veras*, sive demonstratione constant, sive secus. Tertio *magis proprie* sumpta designat *solas cognitiones certo veras per demonstrationem comparatas*. Unde hoc sensu definiri solet. *Cognitio certa et evidens per demonstrationem acquisita*. Denique *propriissime* sumitur pro *collectione quarundam veritatum ex principiis evidentibus evidenter deductarum et circa quoddam objectum omnibus illis commune versantium*. Porro objectum hoc *subjectum attributionis* vocari solet: unaquæque autem veritas demonstrata ad illud spectans nomine *scientiæ partialis* cognoscitur; tota denique illarum collectivitas *scientia totalis* appellatur.

555.—Scientia ex objecto, circa quod versatur, unitatem suam desumit. Cum autem plura dentur objecta inter se diversa, quæ sinu suo seriem aliquam veritatum ex principiis evidentibus deductarum continere queant; luce meridiana clarius patet, non unam tantum scientiam, quemadmodum Transcendentalibus philosophis placet, sed multas ad invicem realiter distinctas esse admittendas. Nec vero philosophi commemorati aliquid afferunt pro sua sententia, quod dignum refutatione videatur: totum enim eorum argumentum in imaginaria quadam objecti unitate fundatur, quam illi ex suo absurdissimo pantheismo derivant (1).

(1) Cfr. Arriaga, *Cursus philos., Logicæ disp. 1.^a sect. 3.^a subsect. 6.^a*

ARTICULUS II.

De classificatione scientiarum.

556.—Scientia in varias species dispescitur. Scientiæ enim aliæ sunt *speculativæ*, aliæ vero *practicæ*: aliæ *emlaphysicæ*, aliæ *mathematicæ*, aliæ tandem *physicæ*. Speculativæ illæ dicuntur, quæ solam veritatis contemplationem pro fine intrinseco et naturali habent; quales sunt ex. gr. *Ontologia*, *Cosmologia*, *Psychologia* et *Theodicea*. Practicæ autem sunt illæ, quæ natura sua ad praxim earum operationum ordinantur, quæ juxta regulas ab ipsis dictatas fieri debent; ut *Theologia Moralis*, *Jus Naturale*, *Civile* ac *Ecclesiasticum*, *Æconomia Politica*, *Mathesis applicata*. etc. Deinde *metaphysicæ* eæ sunt, quarum objectum est ab omni materia abstractum, ac proinde sive positive, sive saltem negative spirituale est; ut *Ontologia*, *Psychologia* et *Theodicea*. *Mathematicæ* vero illæ appellantur, quarum objectum est quidem mente præcisum a materia sensibili, seu a qualitatibus sensibilibus, minime vero ab intelligibili et abstracta: et hujusmodi sunt omnes illæ scientiæ, quæ versantur circa quantitatem ab omnibus corporum qualitatibus præcisam, ut *Arithmetica*, *Algebra*, etc. Deniquæ *physicæ* dicuntur ex, quarum objectum est solummodo præcisum a notis individuantibus, quibus unum individuum materiale ab alio differt, quæque proinde circa qualitates corporum sensibiles versantur; et hujus generis sunt *Physica*, *Chimia*, *Historia Naturalis*, etc.

557.—Circa classificationem scientiarum non parum defatigati sunt laborando recentiores; nemo tamen hac in re omnium desideriis hucusque satisfacere valuit. Res autem est levis momenti et magis curiosa quam vere proficua: unde consulto ab ea latius tractanda abstinemus.

ARTICULUS III.

De subalternatione scientiarum.

558.—Subalternatio scientiarum *in relatione illa consistit, quā una ab alia essentialiter dependet.* «Ne vero, inquit Suarez, in nominum ambiguitate versemur, supponamus proprie scientiam illam esse subalternatam alteri, quæ essentialiter seu necessario ex natura rei ab illa pendet in esse scientiæ; ita ut et esse scientia non possit, nisi scientiæ subalternanti conjungatur et ab illa sumat evidentiam principiorum (1).» Eodem modo loquitur Sanctus Thomas, hæc verba scribens: «Duplex est scientiarum genus. *Quædam* enim sunt, quæ procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut Arithmetica; Geometria et hujusmodi: *quædam* vero sunt, quæ procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiæ; sicut Perspectiva procedit ex principiis notificatis per Geometriam, et Musica ex principiis per Arithmeticam notis (2).» Scientia hoc modo ab alia dependens dicitur *subalternata*, alia vero *subalternans* appellatur.

559.—Hinc ad veram et proprie dictam subalternationem non sufficit, ut una scientia quomodocumque alteri subordinetur; sed debet ita illi subordinari, ut ab illa sua principia desumat, ac proinde sine illa realis scientia esse nequeat. Aliqui sane non eo rigore scientiam subalternatam sumunt, sed nomine hoc quodcumque genus subordinationis intelligunt. Unde secundum illos omnis scientia Logicæ et Metaphysicæ subalternata existeret; quia omnes ab illis aliquod auxilium recipiunt. Communis tamen modus loquendi inter philosophos, ut optime notat P. Arriaga (3), nomine subalternationis intelligit illud ipsum, quod nos cum Suarezio et D. Thoma designavimus.

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 1, sect. 5, n. 47.

(2) S. Thom. *Summ. Theol.* 1. p. q. 1, art. 2.

(3) Arriaga, *Cursus philosoph.*—De anima, disp. 8, sect. 7.

560.—Una scientia potest esse alteri subalternata vel *ex parte*, vel *ex toto*; secundum quod ad aliquas tantum conclusiones probandas indigeat principiis in altera scientia demonstratis, vel ad omnes omnino. Ut autem vere subalternata existat, sequentes requiruntur conditiones.

Prima est, ut realiter a subalternante differat. Ratio est; quia secus non duæ scientiæ forent, sed una tantum; ac proinde dependentia essentialis unius ab altera, in qua tota subalternatio consistit, omnino corrueret.

Secunda in eo consistit, quod objectum scientiæ subalternatæ sit objectum ipsum scientiæ subalternantis, magis tamen circumscriptum et limitatum. Ratio est; quia hac solum ratione accidere poterit, ut ambæ scientiæ realiter inter se distinguantur ex una parte, et ex altera conclusiones subalternantis evadere valeant principia subalternatæ.

Tertia denique in hoc reponitur, quod differentia limitans objectum scientiæ subalternantis, illudque trahens ad sphaeram scientiæ subalternatæ, sit aliquid accidentale in ordine physico, aliquid vero essenziale in ordine logico. Ratio *primi* est: quia si differentia, per quam objectum scientiæ subalternantis redditur minus universale et contrahitur ad sphaeram scientiæ subalternatæ, foret quid substantiale in ordine physico, jam ipsa esset quædam particularis essentia, circa quam versari posset aliqua scientia alteri minime subalternata. Quando enim in ordine physico duo objecta substantialiter differunt, unumquodque illorum habet sua principia propria et ad invicem independentia. Idcirco scientia ex. gr. quæ versatur circa *hominem*, minime subalternatur alteri versanti circa *animal*; quia *rationalitas*, per quam contrahitur *animal* ad speciem humanam, est quid substantiale in

ordine physico. Ratio vero *secundi* ex eo desumitur, quod si in ipso ordine logico foret quid accidentale differentia supra memorata; scientia subalternans et subalternata nonnisi accidentaliter differrent, et ita non duæ forent sed una tantum.

561.—Ad rem optime Suarez: «Ad subalternationem ergo absolutam necesse est, ut subjectum subalternatæ scientiæ addat accidentalem differentiam subjecto scientiæ subalternantis ut linea *visualis* addit lineæ, numerus *sonorus* numero, humanum corpus *sanabile* humano corpori: nam ex hac conjunctione provenit, tum ut scientia, quæ specialiter considerat proprietates ex illo conjuncto ut sic manantes, sit diversa a scientia, quæ abstrahit ab illa compositione et subjectum secundum se considerat; tum etiam ut principia talis scientiæ sint conclusiones superioris scientiæ, quia nimirum proprietates talis compositi oriuntur ex ipsis componentibus et ex proprietatibus quas secundum se habent et in superiori scientia demonstrantur (1).»

Ex dictis facile perspicere est quænam scientia sit subalternans, quænam vero subalternata; cum sufficiat ad principia attendere, ex quibus unaquæque illarum suas conclusiones demonstrat. Atque hæc sufficiant: tempus enim est, ut finem jam imponamus universæ Logicæ.

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 1, sect. 5, n. 50.

A. M. D. G.

INDEX.

	<u>Pags.</u>
Lectori benevolo..	3
Notiones quædam præviæ.	5

LOGICÆ PARS PRIMA,

SEU

Dialectica.

CAPUT PRIMUM.— <i>De simplici mentis apprehensione.</i> . . .	14
Articulus primus.— <i>De simplici mentis apprehensione</i> in se ipsa considerata.	15
§ I.—Quænam sint conceptuum species.	15
§ II.—Quomodo classificentur et ordinentur conce- ptus universales.	25
Art. II.— <i>De simplici apprehensione extrinsecus prolata.</i> . . .	34
§ I.—Quid sit signum et quomodo dividatur. . . .	35
§ II.—Quemnam locum teneant verba inter signa cogitationum humanarum.	36
§ III.—Quid et quotuplex sit terminus logicus. . . .	40
Art. III.— <i>De mediis, quibus perceptiones nostræ ad</i> verum consequendum diriguntur.	46
§ I.—Quid et quotuplex sit definitio, et quibusnam regulis regatur.	47
§ II.—Quid et quotuplex sit divisio, et quibus regu- lis subdatur.	50
§ III.—Quinam esse debeat vocabulorum usus. . . .	54
CAPUT II.— <i>De judicio.</i>	58
Articulus primus.— <i>De judicio secundum se ipsum con-</i> siderato.	58
§ I.—Quænam sit judicii notio.	58
§ II.—Quomodo dividantur judicia.	61
§ III.—Quænam sint proprietates judiciorum ad in- vicem comparatorum.	64

	<i>Pags.</i>
<i>Art. II.</i> —De manifestatione externa iudicii.	67
§ I.—Quid sit oratio et quibus partibus constet. . .	67
§ II.—Quænam sit natura orationis enuntiativæ. . .	70
<i>Art. II.</i> —De mediis, quibus iudicia humana ad verum diriguntur.	72
§ I.—Quænam sint errorum nostrorum causæ ac remedia.	72
§ II.—Quænam sint regulæ ad recte iudicandum idoneæ.	75
§ III.—Quotuplicem sensum habere possint propo- sitiones.	84
<i>CAPUT III.</i> —De <i>ratione</i>	86
<i>Articulus primus.</i> —De natura <i>rationis</i>	86
<i>Art. II.</i> —De diversis <i>rationum</i> speciebus.	88
<i>Art. III.</i> —De regulis quibus <i>ratio</i> ad verum diri- guntur.	92
§ I.—Quænam sint regulæ generales <i>rationum</i> . . .	92
§ II.—Quænam sint regulæ speciales ipsorum. . .	96
<i>Art. IV.</i> —De manifestatione <i>rationis</i> externa. . . .	102
<i>Art. V.</i> —De figuris et modis <i>sylogismorum</i>	106
§ I.—Quot sint <i>sylogismorum</i> figuræ.	107
§ II.—Quot dentur modi <i>sylogismorum</i>	108
<i>Art. VI.</i> —De argumentationibus vitiosis.	110
§ I.—Quænam sint argumentationes vitiosæ ex par- te materiæ.	110
§ II.—Quænam sint tales ex parte formæ.	112

LOGICÆ PARS SECUNDA,

SEU

Critica.

<i>CAPUT PRIMUM.</i> —De <i>principio efficiente veritatis logicæ</i> . . .	116
<i>Articulus primus.</i> —De veritate logica.	117
§ I.—Quænam sit illius natura.	118
§ II.—Quænam sit natura falsitatis logicæ.	123
§ III.—Quinam sint mentis status respectu veritatis logicæ.	124

Art. II.—De certitudine.	127
§ I.—Quænam sit natura intrinseca certitudinis.	127
§ II.—Quænam sint illius species.	130
§ III.—An et quinam sint diversi certitudinis gradus.	135
Art. III.—De aptitudine nostri intellectus ad assequendam certitudinem.	141
§ I.—An admittenda sit aliqua certitudo.	141
§ II.—Quid dicendum sit de scepticismo universali.	147
Art. IV.—De influxu objectorum in certitudinem ac de idearum objectivitate.	152
CAPUT. II.—De fontibus certitudinis.	164
Articulus primus.—De fonte certitudinis metaphysicæ.	164
§ I.—An admittenda sit veracitas idearum.	165
§ II.—Quænam conditiones requirantur ad veracitatem alicujus ideæ.	166
Art. II.—De fontibus certitudinis physicæ.	171
§ I.—An sensus intimus sit fons certitudinis physicæ.	171
§ II.—An sensus externi sint fontes certitudinis hujusmodi.	180
§ III.—An sensus interni veraces existant.	191
Art. III.—De fontibus moralis certitudinis.	194
§ I.—An auctoritas Dei in loquendo sit fons certitudinis hujusmodi.	195
§ II.—An testimonium humanum.	205
§ III.—An sensus communis generis humani.	211
CAPUT. III.—De universali certitudinis criterio.	214
Articulus primus.—Refelluntur falsæ doctrinæ ad hanc materiam spectantes.	215
Art. II.—Propugnatur sententia in evidentia subjectiva criterium prædictum constituens.	217
Art. III.—Respondetur argumentis adversariorum.	221

TERTIA LOGICÆ PARS,

SEU

Methodologia.

CAPUT PRIMUM.— <i>De methodi natura ac de præcipuis ejus speciebus.</i>	230
<i>Articulus primus.</i> — <i>De methodi natura.</i>	230
<i>Art. II.</i> — <i>De methodis rationalistica et scholastica.</i>	232
<i>Art. III.</i> — <i>De methodis ecclectica et systematica.</i>	235
<i>Art. IV.</i> — <i>De methodis ideali et experimental.</i>	242
<i>Art. V.</i> — <i>De methodis inductiva et deductiva.</i>	244
CAPUT II.— <i>De partibus seu instrumentis Methodi.</i>	246
<i>Articulus primus.</i> — <i>De methodi legibus.</i>	247
<i>Art. II.</i> — <i>De demonstratione.</i>	249
<i>Art. III.</i> — <i>De analogia.</i>	253
<i>Art. IV.</i> — <i>De hypothesi.</i>	254
CAPUT III.— <i>De initio philosophandi.</i>	256
<i>Articulus primus.</i> — <i>De doctrinis falsis ad rem hanc spectantibus.</i>	256
<i>Art. II.</i> — <i>De vero philosophandi initio.</i>	259
<i>Art. III.</i> — <i>Quid censendum sit de dubitatione cartesiana.</i>	261
CAPUT IV.— <i>De scientia, ceu ultimo fine Methodi.</i>	263
<i>Articulus primus.</i> — <i>De scientiæ natura.</i>	264
<i>Art. II.</i> — <i>De scientiarum classificatione.</i>	265
<i>Art. III.</i> — <i>De scientiarum subalternatione.</i>	266



CORRIGENDA.

Pagina.	Linea.	Dicit.	Legatur.
6	13	sum	sunt
63	28	particula, et	particula et,
72	7	suarem	suarum
96	23	opaci	opaca
174	1	dolere	dolore
175	penult.	eracitatem	veracitatem
177	15	intimis	intimi



